AUTHOR:

BUECHELER, FRANZ

TITLE:

IGUVINAE DE LUSTRANDO...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1876

Master Negative #

91-80262-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

~~Bücheler,~~
Buecheler, Franz, 1837- 1908.
Iguvinae de lustrando populo legis interpretatio. Bonnae, Georgi, 1876.
39 p. 28½ cm.

In honor of B. G. Niebuhr, Bonn, 1876.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/19/91 INITIALS: mDC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

NATALEM SAECVLAREM

B·G·NIEBVHRI

AB

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

DIE III MENSIS AVGVSTI HORA XI

IN AVLA MAGNA

SOLLEMNITER CELEBRANDVM

RECTORIS SENATVSQVE NOMINE

INDICIT

FRANCISCVS BVECHELER

INEST IGVVINAE DE LVSTRANDO POPVLO LEGIS INTERPRETATIO

BONNAE

ANNO MDCCCLXXVI

EX CAROLI GEORGI TYPOGRAPHEO ACADEMICO

Singularium virorum memoriam vehementer interest ab omnibus servari et recoli, non solum ut pro beneficiis quae in nos contulerunt aliquam referamus gratiam, sed etiam ut virtutes eorum egregiaque facta repraesentando excitemus animum nostrum atque aemulemur parvi vel inglorii magnos et potentes 'quique sui memores alios fecere merendo'. itaque academia nostra, quoniam centensimus hic annus est ex quo lucem vidit BARTHOLDVS GEORGIVS NIEBVHRIVS, praesidium quondam et decus suum, eius viri natalem saecularem publico coetu et spectaculo concelebrare decrevit eisque sollemnibus ut interesse omnes commilitones possent diem constituit festum nobis antiquitus mensis Augusti tertium.

Niebuhrius cum historiam romanam conderet, multam operam conlocavit in exquirendis narrandisque gentium italarum originibus. licet reprehendantur in quibus lapsus est audacia vel pertinacia, plurimum tamen profuit illis qui res easdem postea tractabant, non nulla tam acriter vidit ac iudicavit, ut ab illius sententia qui postea desciverunt nihil aliud quam noxam committerent. an convicta nunc et falsa putamus quae de Tuscis ille scripserat? titulorum, inquit, verba etruscorum ne violentissimo quidem etymologorum impetu efficietur ut similitudinem habere cum lingua graeca aut latina credi possint; etsi nuper docti quidam opinati sunt Italiae populos, quorum dialecti in monumentis servatae nobis extent, exceptis ignobilibus meridianae partis gentibus omnes unam eandemque a prima origine habuisse linguam, tamen integro iudicio Tusca quicunque examinarit, cum copia examinandi satis magna sit, idem illi quod mihi persuadebitur, non magis cum osca lingua tuscam esse cognatam quam cum latina aut graeca. nimirum quod his verbis fit manifestum aliisque multis con-

firmatur, diligenter Niebuhrius attenderat monumenta Italorum ahena et marmorea utpote quae historiarum antiquissimarum materiam divinaret ampliorem et certiorem praestare quam libros ac volumina, verum quoniam neque ipse neque alii quid scriptum in eis esset tum adsequebantur, questus est necessario quasi argentum terris abditum nulli illa usui esse. atque Iguvinas tabulas sensit quidem quamvis tuscis litteris mandatum tamen sermonem complecti a tusco diversissimum et aliqua necessitudine coniunctum cum latino, sed ut adhiberet ad mores et instituta inlustranda Vmbrorum tantum afuit, ut breviter non posse eas intellegi fateretur. at quod monstrarat Niebuhrius et commendarat italicarum dialectorum studium deinde non requievit. extitere qui semina incerta manu sparsa exciperent et colligerent novique fontis uberrima adspergine inrigata ad eam fecunditatem colerent et augerent, ut nostra aetas hac arte si qua alia superiorum temporum angustias longe superet. quocirca mortuo ut parentemus eo officio quod vivum maxime delectasset, munusculumque deferamus promptum ex eo penore, quod a nostra optime academia procuratur — testes sunt conlegae alter modo ereptus vitae qui umbricorum monumentorum interpretationis primum, alter nuper ad nos vindicatus qui luculentissimum specimen dedit — antiquitates evolvimus Vmbrorum.

interpretabor eas quibus de populi Iguvini lustratione agitur tabulas. quemadmodum in annali Fleckeiseniano anni proximi p. 313 ss. cum arcis Iguvinae expiationem tractarem, aeris latinis litteris inscripti legem pleniorem in sermonem latinum converti, vetustius autem aes ac brevius quibus in rebus ab illa lege differret commemoravi, sic nunc quoque aera VI B et VII latine reddam, ex I B adnotabo quae discrepant. nempe vetustatis nomine VI et VII reliquis postponere, etsi contra nuper disputatum est, ego nullo modo dubito. litteratura latina, si priscae latinitatis monumenta contuleris, Sullanam potius quam Gracchanam aetatem tibi referre videbitur; tusce scriptitatum esse Iguvii quo tempore civitas romana omnibus Italicis data sit aut adeo sub regnum Augusti prorsus incredibile est. in annali quae disserui de vocabulis pluriens repetitis, iterum exponere visum est supervacaneum. quod si parum novi nune protulisse videbor, confirmabuntur tamen interpretatione mea quae alii recte invenerunt, et est aliquid in hac quidem disciplina etiam exstirpare errores quo citius bona seges succrescat. Vmbrica transcribo ex eis tabulis quas amplo et docto libro de his monumentis ante hos sex menses Parisiis edito Michael Bréal adiunxit.

48 *Pone poplo afero heries, avif aseriato etu. sururo stiplatu pusi ocrer pihaner. sururont combifiatu. eriront tuderus avif | seritu. ape angla combifians̀iust. perca arsmatiam anovihimu. cringatro hatu, destrame scapla anovi-*
50 *himu. pir endendu. pone | esonome ferar, pufe pir entelust, ere fertu poe perca arsmatiam habiest. erihont aso destre onse fertu. erucom prinvatur dur | etuto, perca ponisiater habituto. ennom stiplatu parfa desva seso, tote Iiovine.*
52 *sururont combifiatu vapefe avieclu. neip | amboltu prepa desva combifians̀i. ape desva combifiansiust, via aviecla esonome etuto com peracris sacris. ape acesoniame | hebetafe benust, enom termnuco stahituto. poi percam arsmatia habiest, eturstahmu. eso eturstahmu: 'pisest totar | Tarsinater, trifor Tarsinater, Tuscer Naharcer Iabuscer nomner, eetu ehesu poplu. nosve ier ehe esu*
55 *poplu, sopir habe | esme pople, portatu ulo pue mersest, fetu uru pirse mersest'. trioper eheturstahamu. ifont termnuco com prinvatir | stahitu eno deitu 'arsmahamo caterahamo Iovinur'. eno com prinvatir peracris sacris ambretuto. ape*
57 *ambrefurent, | termnome benurent, termnuco com prinvatir eso persnimumo tasetur: 'Serfe Martie, Prestota S̀erfia S̀erfer | Martier, Tursa S̀erfia S̀erfer*

Cum populum circumferre volet, avis 48 *observatum ito. itidem stipulator quasi arcis piandae. itidem nuntiato. eisdem finibus avis | servato. ubi oscines nuntiaverit, virgam imperatoriam induimino. cinctum capito, in dextrum latus induimino. ignem inponito. cum | in rem divinam feretur id* 50 *in quo ignem inposuerit, is ferto qui virgam imperatoriam habebit. idem foculum dextro umero ferto. cum eo prinovati duo | eunto, virgas calatoris habento. tum stipulator parram prosperam sibi, civitati Iguvinae. itidem nuntiato in sellas augurales. neve |* 52 *ambulato priusquam prosperam nuntiaverit. ubi prosperam nuntiaverit, via augurali in rem divinam eunto cum opimis sacris. ubi in Aquiloniam | ad exitus venerit, tum ad terminum stanto. qui virgam imperatoriam habebit, exterminato. sic exterminato: 'quisquis est civitatis | Tadinatis, tribus Tadinatis, Tusci Narci Iapudici nominis, exito ex hoc populo. nisi ibitur ex hoc populo, siquis habet | huic po-* 55 *pulo, portato illo quo ius est, facito illo quod ius est'. ter exterminato. ibidem ad terminum cum prinovatis | stato et dicito 'ordinamini centuriamini Iguvini'. tum cum prinovatis opimis sacris ambiunto. ubi ambierint, | ad terminum venerint, ad termi-* 57 *num cum prinovatis sic precantor taciti: 'Cerre Martie, Praestita Cerria Cerri | Martii, Tursa Cerria Cerri Mar-*

AES ab eis quae supra posui sic discrepat, nisi quod paucis locis aliter conexa aut disiuncta verba omisi versu 49 *destra . mescapla* 50 *esonomf . ffrar* aut *efrar* 51 *ponisia . ter* 55 *fsme*

Martier, totam Tarsinatem, trifo Tar-
sinatem, Tuscom Naharcom Iabuscom
nome, | *totar Tarsinater, trifor Tarsi-*
nater, Tuscer Naharcer Iabuscer nom-
60 *ner nerf śihitu anśihitu, iovie hostatu* |
anhostatu tursitu tremitu, hondu holtu,
ninctu nepitu, sonitu savitu, preplotatu
previlatu. | *Serfe Martie, Prestota Ser-*
fia Serfer Martier, Tursa Śerfia Serfer
Martier, fututo foner pacrer pase ve-
62 *stra pople totar Iiovinar,* | *tote Iiovine,*
ero nerus sihitir anśihitir, iovies hosta-
tir anostatir, ero nomne, erar nomne'.
ape este dersicurent, eno | *deitu 'etato*
Iiovinur' porse perca arsmatia habiest.
ape este dersicust, duti ambretuto euront.
ape termnome | *covortuso, sururont pes-*
nimumo. sururont deitu, etaians deitu.
enom tertim ambretuto. ape termnome
65 *benuso,* | *sururont pesnimumo, sururont*
deitu etaias. eno prinvatur śimo etuto
erafont via pora benuso. |

VII A 3 *Fondlire abrof trif fetu heriei rofu*
heriei peiu. Śerfe Martie feitu poplu-
per totar Iiovinar. totaper | *Iiovina.*
vatuo ferine feitu. poni fetu. arvio fetu.
tases persnimu. prosesetir mefa spefa,
5 *ficla arsveitu.* | *suront naratu puse ve-*
risco Treblanir. ape traha sahatu com-
bifianśust, enom erus dirstu. |

Rubine porca trif rofa ote peia

tii, civitatem Tadinatem, tribum Tadina-
tem, Tuscum Narcum Iapudicum no-
men, | *civitatis Tadinatis, tribus Tadina-*
tis, Tusci Narci Iapudici nominis prin-
cipes citos incitos, milites hastatos | 60
inhastatos completo timore tremore, fuga
formidine, nive nimbo, fragore furore, se-
nio servitio. | *Cerre Martie, Praestita Cer-*
ria Cerri Martii, Tursa Cerria Cerri Mar-
tii, estote volentes propitii pace vestra
populo civitatis Iguvinae, | *civitati Iguvi-* 62
nae, eorum principibus citis incitis, militi-
bus hastatis inhastatis, eorum nomini, eius
nomini'. ubi istud dixerint, tum | *dicito*
'itote Iguvini' qui virgam imperatoriam ha-
bebit. ubi istud dixerit, iterum ambiunto
eidem. ubi ad terminum | *revorsum erit,*
itidem precantor. itidem dicito, ut eant di-
cito. tum tertium ambiunto. ubi ad termi-
num ventum erit, | *itidem precantor, iti-* 65
dem dicito ut eant. tum prinovati retro
eunto eadem via qua ventum erit. |

Fontulis apros tris facito vel rufos VII A 3
vel piceos. Cerro Martio facito pro populo
civitatis Iguvinae, pro civitate | *Iguvina.*
vatua ferione facito. ture facito. arvia
facito. tacitus precamino. prosectis mefam
spefam, fitillam addito. | *item narrato ut* 5
ad portam Treblanam. ubi trans sanctam
nuntiaverit, tum erus dato. |

Rubiniae porcas tris rufas aut piceas

59 *totar tarsinat.er* 61 *serfia* post *prestota* incisum est supra versum VII A delevi verba ex imo versu VI B repetita hic in duos versus sic divisa *sururont pesnimumo, sururont deitu etaias. eno prinvatur simo etuto erafont via pora* | *benuso* | 3 *śeree*

fetu Prestote Śerfie Śerfer Martier pop-
7 *luper totar Iiovinar, totaper* | *Iovi-*
na. persaia fetu. poni fetu. arvio fe-
tu. suront naratu pusi pre verir Trebla-
nir. tases persnimu. | *prosesetir struś-*
la ficla arsveitu. ape supo postro pe-
pescus, enom pesclu ruseme vesticatu
Prestote Śerfie | *Śerfer Martier pop-*
luper totar Iovinar, totaper Iovina.
enom vesclir adrir ruseme eso persni-
10 *himu: 'Prestota* | *Śerfia Śerfer Martier,*
tiom esir vesclir adrir popluper totar
Iiovinar, totaper Iiovina, erer nom-
neper, | *erar nomneper. Prestota Śer-*
fia Śerfer Martier, prevendu via ecla
12 *atero tote Tarsinate, trifo Tarsinate,* |
Tursce Naharce Iabusce nomne, totar
Tarsinater, trifor Tarsinater, Tuscer Na-
harcer Iabuscer nomner | *nerus śitir an-*
śihitir, iovies hostatir anostatir, ero
nomne. Prestota Śerfia Śerfer Martier,
futu fons | *pacer pase tua pople to-*
tar Iiovinar, tote Iiovine, erom nom-
ne, erar nomne, erar nerus śihitir an-
15 *śihitir, iovies* | *hostatir anostatir. Pre-*
stota Śerfia Śerfer Martier, salvom seri-
tu poplom totar Iiovinar, salva se-
rituu | *totam Iiovinam. Prestota Serfia*
Serfer Martier, salvo seritu popler
17 *totar Iiovinar, totar Iiovinar* | *no-*
me nerf arsmo viro pequo castruo
frif, salva seritu, futu fons pa-

facito Praestitae Cerriae Cerri Martii pro
populo civitatis Iguvinae, pro civitate | *Igu-* 7
vina. pedarias facito. ture facito. arvia fa-
cito. item narrato ut ante portam Trebla-
nam. tacitus precamino. | *prosectis struicu-*
lam fitillam addito. ubi tegora posteriora
posuerit, tum obsecratione in rusem libato
Praestitae Cerriae | *Cerri Martii pro po-*
pulo civitatis Iguvinae, pro civitate Igu-
vina. tum vasculis atris in rusem sic pre-
camino: 'Praestita | *Cerria Cerri Martii,* 10
te his vasculis atris pro populo civitatis
Iguvinae, pro civitate Iguvina, pro populi
nomine, | *pro civitatis nomine. Praestita*
Cerria Cerri Martii, advortito via omni
malum civitati Tadinati, tribui Tadinati, | 12
Tusco Narco Iapudico nomini, civitatis
Tadinatis, tribus Tadinatis, Tusci Narci
Iapudici nominis | *principibus citis in-*
citis, militibus hastatis inhastatis, eorum
nomini. Praestita Cerria Cerri Martii,
esto volens | *propitia pace tua populo ci-*
vitatis Iguvinae, civitati Iguvinae, eorum
nomini, eius nomini, eius principibus ci-
tis incitis, militibus | *hastatis inhastatis.* 15
Praestita Cerria Cerri Martii, salvom ser-
vato populum civitatis Iguvinae, salvam
servato | *civitatem Iguvinam. Praestita*
Cerria Cerri Martii, salvom servato populi
civitatis Iguvinae, civitatis Iguvinae | *no-* 17
men principes institutiones viros pecua
fundos fruges, salva servato, esto volens

11 *śerfia* et *śerfer* parvolo spatio distant fortasse ex vitio aeris 14 *nomne erar* ubi iteratum est omiserat caelator ideoque supra *nerus* adiecit

*cer pase tua pople totar Iiovi-
nar, | tote Iiovine, erer nomne, erar
nomne. Prestota Śerfia Śerfer Martier,
tiom esir veslir adrer popluper | to-
tar Iiovinar, totaper Iovina, erer nom-
neper, erar nomneper. Prestota Śer-*
20 *fia Śerfer Martier, tiom | subocavu. Pre-
stotar Śerfiar Śerfer Martier foner frite
tiom subocavu'. ennom persclu eso deitu: |
'Prestota Śerfia Śerfer Martier, tiom isir
veslir adrir, tiom plener popluper totar*
22 *Iiovinar, totaper | Iiovina, erer nom-
neper, erar nomneper. Prestota Śerfia
Śerfer Martier, tiom subocavu. Prestotar |
Śerfiar Serfer Martier foner frite tiom
subocavu'. enom vesticatu, ahatripursatu.
enom ruseme | persclu vesticatu Pre-
stote Śerfie Śerfer Martier popluper
totar Iiovinar, totaper Iovina. ennom*
25 *veslir | alfir persnimu, superne adro
trahvorfi andendu, eso persnimu: 'Pre-
stota Śerfia Śerfer Martier, tiom | esir
veslir alfir popluper totar Iiovi-
nar, totaper Iiovina, erer nomneper,*
27 *erar nomneper. Prestota | Śerfia Śer-
fer Martier, ahavendu via ecla atero
pople totar Iiovinar, tote Iiovine,
popler totar Iovinar, | totar Iiovi-
nar nerus śihitir anśihitir, iovies ho-
statir anhostatir, ero nomne, erar
nomne. Prestota Śerfia | Śerfer Mar-
tier, salvom seritu poplo totar Iiovi-
nar, salva seritu totam Iiovinam.*

17 *pase.t.ua* 22 *prestota śerfiar*

*propitia pace tua populo civitatis Iguvi-
nae, | civitati Iguvinae, populi nomini, ci-
vitatis nomini. Praestita Cerria Cerri Mar-
tii, te his vasculis atris pro populo | civitatis
Iguvinae, pro civitate Iguvina, pro populi
nomine, pro civitatis nomine. Praestita Cer-
ria Cerri Martii, te | adoravi. Praestitae* 20
*Cerriae Cerri Martii volentis fiducia te ado-
ravi'. tum obsecratione sic dicito: | 'Prae-
stita Cerria Cerri Martii, te his vasculis
atris, te plenis pro populo civitatis Iguvi-
nae, pro civitate | Iguvina, pro populi no-* 22
*mine, pro civitatis nomine. Praestita Cer-
ria Cerri Martii, te adoravi. Praestitae |
Cerriae Cerri Martii volentis fiducia
te adoravi'. tum libato, tripodato. tum
in rusem | obsecratione libato Praesti-
tae Cerriae Cerri Martii pro populo ci-
vitatis Iguvinae, pro civitate Iguvina. tum
vasculis | albis precamino, super atra* 25
*ex transvorso inponito, sic precamino:
'Praestita Cerria Cerri Martii, te | his
vasculis albis pro populo civitatis Iguvi-
nae, pro civitate Iguvina, pro populi
nomine, pro civitatis nomine. Praestita |* 27
*Cerria Cerri Martii, avortito via omni
malum populo civitatis Iguvinae, civitati
Iguvinae, populi civitatis Iguvinae, | civi-
tatis Iguvinae principibus citis incitis, mi-
litibus hastatis inhastatis, eorum nomini,
eius nomini. Praestita Cerria | Cerri Mar-
tii, salvom servato populum civitatis Igu-
vinae, salvam servato civitatem Iguvinam.*

30 *Prestota Śerfia Śerfer | Martier, salvom
seritu popler totar Iiovinar, totar
Iiovinar nome nerf arsmo viro pe-
quo castruo frif, | salva seritu, futu
fons pacer pase tua poplo totar Iio-
vinar, tote Iiovine, erer nomne, erar*
32 *nomne. Prestota | Śerfia Śerfer Mar-
tier, tiom esir veslir alfer popluper to-
tar Iiovinar, totaper Iiovina, erer nom-
neper, erar | nomneper. Prestota Śer-
fia Śerfer Martier, tiom subocavu. Pre-
stotar Śerfiar Śerfer Martier foner frite
tiom | subocavu'. ennom persclu eso
persnimu: 'Prestota Śerfia Śerfer Mar-*
35 *tier, tiom isir veslir alfer, tiom plener |
popluper totar Iiovinar, totaper Iio-
vina, erer nomneper, erar nomneper.
Prestota Śerfia Śerfer Martier, tiom |
subocavu. Prestotar Śerfiar Śerfer Mar-
tier foner frite tiom subocavu'. enom ve-*
37 *sticatu, ahatripursatu. | vestisa et mefa
spefa scalsie conegos fetu Fisovi Sansii
popluper totar Iiovinar, totaper Iio-
vina. suront | naratu puse post verir
Tesonocir. vestisiar erus ditu. enno ve-
stisia, mefa spefa sopam purome efur-
fatu, | subra spahamu, traf sahatam
etu. ape traha sahata covortus, ennom*
40 *comoltu, comatir persnihimu. capif |
sacra aitu. |*

*Trahaf sahate vitla trif feetu Turse
Śerfie Śerfer Martier popluper totar
Iiovinar, totaper Iiovina. persaea fe-*

37 *meea*

Praestita Cerria Cerri | Martii, salvom ser- 30
*vato populi civitatis Iguvinae, civitatis
Iguvinae nomen principes institutiones vi-
ros pecua fundos fruges, | salva servato, esto
volens propitia pace tua populo civitatis
Iguvinae, civitati Iguvinae, populi nomini,
civitatis nomini. Praestita | Cerria Cerri* 32
*Martii, te his vasculis albis pro populo
civitatis Iguvinae, pro civitate Iguvina, pro
populi nomine, pro civitatis | nomine. Prae-
stita Cerria Cerri Martii, te adoravi. Prae-
stitae Cerriae Cerri Martii volentis fidu-
cia te | adoravi'. tum obsecratione sic
precamino: 'Praestita Cerria Cerri Mar-
tii, te his vasculis albis, te plenis |* 35
*pro populo civitatis Iguvinae, pro civitate
Iguvina, pro populi nomine, pro civitatis
nomine. Praestita Cerria Cerri Martii, te |
adoravi. Praestitae Cerriae Cerri Martii
volentis fiducia te adoravi'. tum libato,
tripodato. | vesticia et mefa spefa in pa-* 37
*tera genu nixus facito Fisovio Sancio pro
populo civitatis Iguvinae, pro civitate Igu-
vina. item | narrato ut post portam Te-
senacam. vesticiae erus dato. tum vesti-
ciam, mefam spefam reliquam in ignem
expurgato, | supra gradimino, trans sanc-
tam ito. ubi trans sanctam revorterit, tum
commolito, commolitis precamino. capides |* 40
sacras agito. |

*Trans sanctam vitulas tris facito Tur-
sae Cerriae Cerri Martii pro populo civita-
tis Iguvinae, pro civitate Iguvina. pedarias*

42 *tu. poni | fetu. arvio fetu. tases pers-*
nimu. prosesetir struŝla ficlam arsvei-
tu. suront naratu puse verisco Trebla-
neir. ape | purdinŝiust, carsitu pufe
abrons facurent puse erus dersa. ape erus
dirsust, postro combifiatu rubiname, erus |
dersa. enem traha sahatam combifiatu,
erus dersa. enem rubiname postro covertu,
45 *comoltu, comatir persnimu et | capif*
sacra aitu. enom traha sahatam covertu,
comoltu, comatir persnihimu. enom pur-
ditom fust. |

Postertio pane poplo andirsafust,
porse perca arsmatia habiest et prin-
47 *vatur dur tefruto Tursar eso tasetur |*
persnihimumo: 'Tursa Iovia, totam Tar-
sinatem, trifo Tarsinatem, Tuscom Na-
harcom Iapusco nome, totar | Tar-
sinater, trifor Tarsinater, Tuscer Na-
harcer Iapuscer nomner nerf sihitu an-
sihitu, iovie hostatu anostatu | tursitu
tremitu, hondu holtu, ninctu nepitu, suni-
tu savitu, preplohotatu previŝlatu. Tursa
50 *Iovia, futu fons | pacer pase tua po-*
ple totar Iovinar, tote Iovine, erar
nerus ŝihitir anŝihitir, iovies hostatir
anhostatir, erom | nomne, erar nom-
ne'. este trioper deitu. enom ivenga
peracrio tursituto porse perca arsmatia
52 *habiest et | prinvatur. hondra furo*
sehemeniar hatuto totar pisi heriest.
pafe trif promom haburent, eaf acer-
soniem | fetu Turse Iovie popluper

49 *preplo.hotatu*

facito. ture | facito. arvia facito. tacitus 42
precamino. prosectis struiculam fitillam
addito. item narrato ut ad portam Tre-
blanam. ubi | porrexerit. vocato quo
loco apros fecerint ut erus det. ubi erus
dederit, retro nuntiato in rubinam. erus |
det. tum trans sanctam nuntiato, erus
det. tum in rubinam retro revortito, com-
molito, commolitis precamino et | capides 45
sacras agito. tum trans sanctam revortito,
commolito, commolitis precamino. tum por-
rectum erit. |

Post quam tertium populum lustrave-
rit, qui virgam imperatoriam habebit et
prinovati duo ex rogo Tursae sic taciti | 47
precantor: 'Tursa Iovia, civitatem Tadi-
natem, tribum Tadinatem, Tuscum Nar-
cum Iapudicum nomen, civitatis | Tadi-
natis, tribus Tadinatis, Tusci Narci Ia-
pudici nominis principes citos incitos,
milites hastatos inhastatos | completo ti-
more tremore, fuga formidine, nive nim-
bo, fragore furore, senio servitio. Tursa
Iovia, esto volens | propitia pace tua po- 50
pulo civitatis Iguvinae, civitati Iguvinae,
eius principibus citis incitis, militibus
hastatis inhastatis, eorum | nomini, eius
nomini'. istud ter dicito. tum iuvencas
opimas fuganto qui virgam imperatoriam
habebit et | prinovati. infra forum pro- 52
miscue capiunto civitatis quisquis volet.
quas tris primum ceperint, eas in Aqui-
lonia | facito Tursae Ioviae pro populo

totar Iovinar, totaper Iovina. suront
naratu puse verisco Treblanir. arvio
fetu. | persaea fetu. struŝla ficla pro-
sesetir arsveitu. tases persnimu. poni
fetu.

civitatis Iguvinae, pro civitate Iguvina.
item narrato ut ad portam Treblanam. ar-
via facito. | pedarias facito. struiculam
fitillam prosectis addito. tacitus precamino.
ture facito.

*

VII B 1 *Pisi panupei fratrexs fratrus Atier-*
sier fust, erec sveso fratrecate portaia
sevacne fratrom | Atiersio desenduf pifi
reper fratreca parsest erom ehiato, ponne
3 *ivengar tursiandu hertei, | appei arfer-*
tur Atiersir poplom andersafust. sve neip
portust issoc pusei subra screhto est, | fra-
treci motar sins a. ccc.

*

Quisquis quandoque magister fratribus VII B 1
Atiediis erit, is in suo magisterio portet
hostias fratrum | Atiedium duodecim quas
pro re conlegi par erit esse emissas, cum
iuvencae fugentur oportet, | ubi flamen 3
Atiedius populum lustraverit. si nec por-
tarit ita uti supra scriptum est, | ma-
gistro multae sint asses ccc.

VII B 4 inter *sins.* et *a.* spatium aliquod relictum est

VI B 48 *afero.* plenius scriptum est VI A 19 *anferener*, compositum enim verbum cum ea praepositione est quam *anquiro* et *amplector* latina habent. Aeneas Vergili postquam corpus Miseni sui flammis tradidit, *ter socios pura circumtulit unda spargens rore levi et ramo felicis olivae lustravitque viros* VI 229. ubi Servius *circumtulit* esse ait *purgavit, nam lustratio a circumlatione dicta est vel taedae vel sulfuris.* Plautus Amphitruonis 775 *quin tu istanc iubes pro cerrita circumferri?* id est *piari.* Nonius p. 261 *circumferre est proprie lustrare. Lucilius saturarum lib. II 'tum facto omnia sunt circumlatus'* ubi *circumlata* Iunius restituit restituendumque ex aliquot codicibus censeo *facta*, nam temere *farcto* LMuellerus edidit et cum fercto confudit Lucili p. 8 et 200. sicut circumdari moenibus urbs dicitur circum quam moenia fiunt, sic homines circum quos piacularia sacra agerentur sacris dixerunt circumferri. ad illustrandum et vocabulum et ritum Iguvinum peridonea sunt quae de censu lustroque Romano Dionysius narrat ant. Rom. II 22: Τύλλιος ἐπειδὴ διέταξε τὸ περὶ τὰς τιμήσεις, κελεύσας τοὺς πολίτας ἅπαντας συνελθεῖν εἰς τὸ μέγιστον τῶν πρὸ τῆς πόλεως πεδίων ἔχοντας τὰ ὅπλα .. καθαρμὸν αὐτῶν ἐποιήσατο ταύρῳ καὶ κριῷ καὶ κάπρῳ (perperam traditur τράγῳ), τὰ δ' ἱερεῖα ταῦτα τρὶς περιαχθῆναι περὶ τὸ στρατόπεδον κελεύσας ἔθυσε τῷ κατέχοντι τὸ πεδίον Ἄρει. ambilustrum hoc vocatum esse Ro-

mae Servius in Aen. I 283 testatur, quod nomen ille quidem falso exponit quasi non licuerit nisi ambos censores lustrare civitatem, a circumlatis victimis Beckerus repetit antiq. II 2 p. 243 comparans ambarvalia. agrum qui lustrare volet, secundum Catonem rer. rust. 141 vilico suo ita imperat: *mando tibi Mani uti illace suovitaurilia fundum agrum terramque meam quota ex parte sive circumagi sive circumferenda censeas, uti cures lustrare.* suovitaurilibus tamen Iguvini arcis quidem expiandae causa utuntur sed non lustrandi populi, certe in huius caerimoniae descriptione ovillum pecus nusquam commemoratur. denique vix dubium est quin summa necessitudine ferendi verbum illud attingant etiam *φαρμακοί* qui Athenis circumducebantur purgamenta civitatis.

sururo factum est ex *sururont* detritis finalibus ut *dedro* in matronarum Pisaurensium titulo CIL. I 177 ex *dederont.* extrema vocabuli pars est *font* aut quemadmodum solita est mutari *hont* quae adicitur pronominibus ad significandam aequalitatem (*era* lat. *ea, erafont erahunt* lat. *eadem*). spiritus perit plerumque, coeunt etiam vocales contrahunturque syllabae ut *ifont* lat. *ibidem* ortum est ab *ife* lat. *ibi.* iam *surur* vel *suror* adverbii forma principalis cum antiquo sororis nomine convenit, nisi quod terminationem *r* finalis genetivi casus prodit. descendere igitur mihi videtur ab illa stirpe quae tertiae personae pronomina peperit, quae geminata est ab Vmbris etiam in *seso* lat. *sibi* et *sveso* lat. *suo.* indidem Latini et *suad* derivarunt quod *sic* esse Messalla ait apud Festum p. 351 et ipsum hoc *seic* et quod simillimum puto vetus verbum diu servatum in legibus cum in usu volgari post bella Poenica exolevisset, *sirempse.* quia enim nullam aliam vim hoc adverbium habet quam illa *item similiter proinde,* id quod etiam infimis temporibus Festus et Charisius senserunt etsi falsa simul grammaticorum commenta tradidere, minime equidem probo Pauli aut nobilioris a quo ille accepit auctoris opinionem nomen inesse in illo idem quod in *re apse* declarantis, praesertim cum usitata maxime haec fuerit formula *siremps lex res ius caussaque omnium rerum esto* aut saltem *omnium rerum siremps lex esto,* immo *sirem* provenisse puto ex *sisem* duplicata stirpe pronominali eam ob caussam qua olim acciderat ut casum pronominis duplicarent *emem* dicentes eundem (Paulus p. 76) neque alia ratione differre *sirem* ab *erim,* quod in Odyssia Livium conicio posuisse (Festus p. 162 *nec erim nec eum*). quam *sam* et *sapsa* ab *eam* et *ipsa.* ad Vmbricam particulam ut redeamus, saepius quam *sururont* tantum *suront* scriptum legimus, quod difficile dictu est utrum ab stirpe simplici ac non

geminata sit deductum, etsi *sur* non item ut *surur* adhibuerunt, an coactum sit ex pleniore verbo, quemadmodum Latini *gnarurat* compresserunt in *narrat* vel ut Varroni placuit scribi *narat.* consonantes enim Vmbri vetustiores numquam duplicarunt, raro recentiores, duas *r* ne hi quidem ullo exemplo scripsisse probantur. significatu tria haec *surur suront sururont* in tabulis nostris omnino congruunt, licet gravius quondam ac distinctius tertium quam primum fuerit ad demonstrandam similitudinem, verum quis ausit definire quanto ubique pondere distent *item* et *itidem*? comparationi igitur omnia inserviunt, id quod comparare iubemur aut praecedentibus verbis expressum est velut *tases persnimu, surur purduvitu* lat. *tacitus precamino, item porricito* ubi *surur* ad *tases* respicit, aut sequente *pusi* particula adiungitur, ut *sirempse* latinum excipi solet a *quasi.*

ocrer pihaner. duo hi genetivi ubi eodem modo compositi leguntur VI A 8 et 19 et 20, aut nomina quae eos regant adsunt *verfale* et *esoneir* aut praepositio *paca.* hoc loco adstrictior est verborum comprehensio repetendumque ex superioribus ad quod genetivos aptemus nomen avium vel auspiciorum. similis brevitas in gerundivis latinis valet casu eodem, Sallustius dixit *arma cepit libertatis subvertendae* aliaque huiusmodi congesta ab interpretibus belli Catilinarii 6, 7, in titulo Mummiano adiectivum plurale genetivos ducit *cogendei dissolvendei tu ut facilia faxseis.* docemur autem verbis illis auspicia ei qui populum lustratum ibit et expianti arcem plane eodem ritu esse capienda, itaque quae hic adumbrata sunt quoniam lucem expetunt ab eis quae explicata in VI A leguntur, et singularem hanc rem comperimus, alium stipulari, alium observatis avibus nuntiare, si quidem illic stipulari adfertor vel flamen scribitur, nuntiare quem flamen in auspicium adhibet augur, et hanc universae interpretationi utilem, non indicari in hac lege subiectum subiective mutationem si ipsa actione is qui agat designetur aut discerni agentes non sit necesse. conferre licebit notissimam Graecorum consuetudinem sine personae nomine efferentium talia *ἀναγνώσεται ὑμῖν τὸν νόμον* et *ταῦτα προεῖπον τοῖς στρατιώταις καὶ ἐπεὶ ἐσήμηνεν, ἐπῇσαν.* illud si tenemus, cum alia melius intellegemus tum versus 51 et 52 in quibus *amboltu* non potest non adtribui lustrationis sacrum peragenti flamini, sed *desva combifianši* auguris esse ex VI A 16 et 17 colligitur.

vetus lex I B 10 de auspiciis sic praecipit: *cum populum circumferre voles, aves observatum ito anticas posticas.* ibi igitur *heries* pro secunda persona habemus, contra in tabula VI pro *heriest.* nam in I alteram flamini personam

impositam esse et pronomen versus 13 *steplatu tefe* lat. *stipulator tibi* et verborum formae omnium ostendunt excepto uno quod sub finem legitur v. 40 *atersafust,* quod cum nequaquam quadret in *tefe* v. 13, aut scalpturae negligentia corrigenda est aut culpandum orationis vitium, potuit enim fieri ut *fust* scalptor iteraret ex antecedente versu, potuit ut qui una commemoraturus erat flaminem et *prinuvatuf,* statim etiam hunc ad illorum personam traduceret. at in VI flaminem tertiam personam esse ex pronomine v. 51 *stiplatu seso* verbisque plurimis apparet.

49 ornatus describitur ad lustrum faciendum necessarius flamini. *anovihimu* probabile est praepositione constare ea quam *antentu* habet eoque verbo quod in exuviis induviisque cernimus. neque minus late verbum latinum patuit, cum coronas indui mancipia dicerentur vel Coroebus Androgei galeam clipeique insigne decorum (Gellius VI 4, 3 Vergilius Aen. II 392). utrumque tam ornamentis fuit aptum quam vestimentis. deinde *cringatro* a *cringa-* ut ab arando aratrum vocatum est. et quoniam *r* proximum est ut abeat in *l* permutanturque in dialectis species coniugationum (*visum* Latini, Vmbri *virseto,* hi *conegos* id est *-atus,* illi *conixus* al.), exaequari *cringa-* licet cum eo verbo quod Paulus Festi et glossaria servarunt ille sic interpretatus *clingere cingere a Graeco* κυκλοῦν *dici manifestum est,* haec admodum dissimiliter *clingit cludit* (vide Hildebrandi gloss. Parisinum p. 54, 99 et 55, 109). quocirca sive cinctum in Latinis sive clavum substituimus, insigne quoddam amiculum vel stragulum intellegendum est rotundum potius quam quadratum, tantum enim ex testimonio Pauli etymoque auguramur. reiciebatur in tergum, *destrame scapla,* nam scapulae si distinguntur ab umeris, dorsum significant, interscapulum μετάφρενον, neque a Latinis nisi pluraliter efferuntur. facili negotio induebatur et deponebatur, nam II B 27 cum immolat sacerdos, cringatrum in dextro umero habet, cum immolavit, libamento sacro inponit, cum porricit exta, rursus in dextrum umerum adsumit. Romae qui moenia lustrarunt ritu Gabino cinctos fuisse Lucanus docet I 593, togae tamen hoc cinctu compositae cum cringatro similitudinem longe minorem esse concedo quam ricinii aut riculae de quibus Marquardtus antiq. V 2, 179 et Henzenus act. Arv. p. 38 egerunt. ceterum solitos esse amiciri veteres nemo nescit dextris umeris exsertis, festus hic ornatus non tenet vestis morem cottidianae. in aere vetustiore virga non commemorata est sed tantum scriptum: *cum converteris* te id est redieris ab auspicio, *cringatrum capito, tunc ignem*

inponito. adiectum autem est his extremis *ahtimem* quod cum pro vasculo et receptaculo ignis habuerint, ego non adsentior. alias enim *antenom entenom* cum dativo casu construitur (*ase antentu* lat. *arae inponito*) aut cum locativo (*ife* et *pufe* lat. *ibi* et *ubi*), neque eodem tempore in eadem re tertiam valuisse structuram credo (*inponere in aliquem locum*). non extat quidem in latino sermone *ahtim* id est *actim,* sed qua proportione *statim* ad stationem aut statum, ea illud esse ad actionem aut actum videtur, actio autem in hoc rerum contextu ad procuranda sacra atque agonias attinere. quare *ahtimem* ab *esonome* non aliter differre arbitror quam partem a toto, sacrificium a re divina. *pir ahtimem entenom* paene idem est quod foculum ad sacrificium accendere, III 23 et 28 quod precantur pro fratribus Atiediis *ahtisper eikvasatis* pro civitate Iguvina pro tribu Iguvina, altero nomine sacra sollemnia comprehendunt quibus pagorum et communium vel ab Italis antiquissimis vel in novissimis Romanorum provinciis pax et concordia constituta ac firmata est.

50 *feretur* quod posui, orationis latinae legibus magis morem gessi quam analogiae umbricae. *ferar* enim vereor ut eximi possit ex potestate modi coniunctivi. ac passivi quidem generis formam et *r* finalis arguit et ipsa requirit sententia. nam quia singulariter is a quo ferri testu ignis plenum oportet, post demum adnexo membro denotatur, nunc actum ferendi pronuntiari necesse est aut pluralitate generis activi aut passivo genere. atqui pluralis in activo verbo nullus in *r* desinit, significationis igitur *ferar* passivae est. nec potest non videri coniunctivi forma, quia et latinis oscisque simillima est his *feratur* et *lamatir,* modo subtracta extremae syllabae vocali Vmbros etiam *t* ante *r* perdidisse reputes, et in umbrica coniugatione, modo *r* dempseris, consonat planissime coniunctivus activi item *t* littera privatus *fera* (lat. *ferat* osce *-ad*). at futurum quoniam in activo Vmbri fecere *ferest feres,* in passivo videntur facere debuisse *ferester fereser* aut coartatis potius syllabis *ferer.* certe in multitudinis futuro passivum *ostensendi* cui *r* detractum est proxume accedit ad activum quod *ostensend ostensen* fuisse certam capimus ex *furent* et *staheren* coniecturam. neque impediunt in versu 54 conexa quo minus *ier* futurum passivi accipiamus, lat. *ibitur,* extrema nota distinctum ab activo *ies* lat. *ibit.* tanto magis fidem excederemus si *ferar* quoque futuro tempori vindicare conaremur hoc argumento freti quod in latina lingua saltem primam personam communem habent futurum et coniunctivus *feram ferar* vel quovis alio, persuadebit enim nullum. esto igitur

ferar idem quod lat. *feratur*, neque vero hunc coniunctivum dissimulemus positum esse contra consuetudinem non modo Latinorum omnium sed etiam Vmbrorum quippe qui tempora quidem ubi *pone* praecessit variarint vel praesens vel futura simplex aut exactum subiungentes, modum tamen unum admiserint indicativum. neque coniunctivi ullam video excusationem, nisi hortamentum quoddam aut voluntatem adfingere vis et intellegere quasi *ferri oportet*.

50 *aso* aliud et amplius indicat quam quod circumlocutione illa declaratum est *ubi ignem inposuerit*, ut genere ita significatu differens ab *asa* ara. reperitur illud etiam in ahena tabella quae legem sacram civitatis Marrucinae exhibet (apud Mommsenum de dialectis ital. tab. XIV, in Fabretti corpore inscr. ital. n. 2741) versu 8 *esuc agine asum babu poleenis feret*, quibus ex verbis quattuor satis clara sunt *hoc agonio foculum fert*, reliqua ridicule nomina propria creduntur. in Vmbricis quae secuntur *destre onse* postpositam habere *en* particulam ex II B 27 colligo, cum dativo nullus in hac enuntiatione locus sit, ablativus autem aliter figuretur. *onso* factum est ex *omso* unde graece ὦμος, in Aeolicis Theocriti ἐπομμασίαις, at latine inserta vocali *umero*. idem flexum in *uze* legitur in aere vetustiore. non leviores oscum *Niumsieis* nomen mutationes expertum est, nam accepta vocali in *Niumeriis* abiit, accepta consonante ea per quam Latini *m* et *s* quotiens colliduntur inter se emolliunt (*hiemps sumpsi*) in Νύμψιος Νύψιος, quod nomen homini Neapolitano est memorato in vita Dionis (Plutarchus cap. 41), contra infracta ut in *uze* nasali ante sibilum tantum remansit Νύσιος, quod nomen index Stoicorum Herculanensis praebet a Comparettio nuper editus col. LXXIV p. 99 Μάρκιος καὶ Νύσιος Σαυνῖται. umeris hominis adlatos ad aras vitulos non fere litare Plinius narrat hist. nat. VIII 183. dextro umero instrumentum sacrificii defertur eodem cui insigne honoris iniectum est, nempe bona omina ex dextris quaeruntur velut dextra manu et dextro pede.

prinvatur aut *prinuatur* tabula latine scripta, vetus aes *prinuvatu*, latine fortasse reddendum est *praenovati*. nimirum *pri* antiqui pro *prae* dixerunt, ut Paulus Festi scribit in *privignus*, quamquam in Vmbricis non legimus nisi *pre* (*pre verir*, *prehubia prepa Prestota*, quin etiam *prever*). olim hoc vocabulum contulerunt cum latino *privati*, illud tamen cum evidenter derivatum sit a *privare priva*, numquam in medio potest nasalem habuisse. et leges agrum quidem aedificiumve a publico privatum distingunt, non tamen privatos homines ponunt contra magistratus sed nominibus magis definitis utuntur. quod autem in latino

sermone privatos etiam aliud posse significare opinantur quale est armis exutos, hac in re vehementer errant, quamquam locum illum quo nituntur a Varrone l. lat. VI 86 de censoriis tabulis transcriptum nemodum recte intellexisse videtur, ne Mommsenus quidem iuris publici rom. II p. 335 n. 3. censor enim praeconi imperans ut vocet *omnes Quirites pedites armatos, privatosque curatores omnium tribuum*, cives romanos vocari iubet generatim atque universe, singillatim autem curatores tribuum, quare *privatos* ibi perpusillum a *privos* discedit aut adverbio *privatim*, comparandumque hoc exemplum est cum illo Ciceronis *in privatos homines leges ferri noluerunt, id est enim privilegium, quo quid est iniustius cum legis haec vis sit: scitum et iussum in omnes* de leg. III 44 aut cum illis quae ex commentario anquisitionis quaestorio Varro eodem libro protulit § 92 *in arce classicus canat circumque moeros et ante privati huiusce T. Quinti Trogi scelerosi ostium canat* et 91 *reum de moeris vocet praeco, cornicinem ad privati ianuam et in arcem mittas*. mittamus igitur privatos, mittamus etiam quos Bréal ex umbrico vocabulo exsculpsit viatores calatoresve quasi praeinviatos vel praemissos in viam. vereor enim ne alio nos ducant quae prinovatis dantur virgae *ponisiater*, in quo verbo *s* in locum *c* litterae successisse vetus tabula docet. interpretati sunt sine ulla probabilitate virgas ex malo Punica factas, nam ut importunitatem taceam genetivi (*e caprifico virgam* Varro l. lat. VI 18 *virga ex malo* Servius Aen. IV 137), nec ligni materiam sed muneris notam ut cogitemus *percar arsmatiar* similitudo suadet, neque a Poenis deliciarumque peregrinarum usu tam bene *poni-* deducitur quam a patrii sacrificii apparatu identidem in tabulis nostris commemorato. ab hoc *poni* venisse primum *ponicia* arbitror ut a Vesta *vesticia* (cf. latina *pannucia sodalicia* al.) deinde *poniciato* (cf. latinum *pannuciato* et lictores curiatos, nisi tamen curiatios potius nominari oportet). quamquam *poniciater* genetivus etiam cum *quoiatis Antiatis* aut adeo *praegnatis praegnantis* potest comparari, eamque ob caussam ultima pars suffixi interim maxime obscura restat. quo modo Romae in collegio fetialium verbenarius a sacris verbenis, ita Iguvii a sacro *poni ponicias* dictus est, cuius virga cum opponatur virgae imperatoriae sacerdotali, vix quidquam credibilius opinor quam ministro cuidam ex eo numero id nomen fuisse qui sacris publicis apparerent, lictori viatori calatori praeconi. nec dedecet id genus hominum *perca* signum ministerii. in nummis quaestorum praeter huius ipsius magistratus insignia, arcam pecuniae et sellam vel subsellium, incusam etiam virgam rectam

videmus quam viatores quaestorios gessisse veri simillimum est: lictor romanus fascem virgarum sinistro umero gestat. nobile officium *κήρυκος* est qui caduceator vocatur a caduceo suo, servile calonum vel clavatorum quos Paulus Festi sic dictos narrat quod ligneas clavas gererent. item apud Germanos rex et iudex non magis quam nuntii eorum et accensi cum baculis et virgis funguntur muneribus (Grimmius antiq. iuris p. 134 et 132). quod si de *ponisiater* recte iudicavi, *prinovatuf* non posse esse eosdem calatores praeconesve facile perspicitur, idque cur negem, alia quoque argumenta mihi praesto sunt. primum enim nonne etiam arcem pianti flamini adesse apparitores consentaneum est? tamen in illa caerimonia nulla horum mentio fit, quid igitur hic eos etiam atque etiam appellari oportuit? an missae catholicae ritus siquis paucis comprehensos redacturus est in legis speciem, assidue in memoriam puerorum acoluthorumve redibit qui presbytero apparent, nec satis habebit semel hos indicasse sine quibus etsi non perficiuntur ritus, ultro tamen ipsi nullum perficiunt? tum sic prinovati et adfertor identidem coniunguntur in unum imperativo modo *ubi in arcem venerit, stanto ad terminum* et *hic cum illis precantor* et *ubi hoc dixerit ambiunto eidem*, ut eam rationem loquendi apte quidem cadere sentias in homines qui fere aequiperent sed non apte in eos qui plurimum distent inter se honore et dignitate. ac nego equidem in publicis monumentis apparitores cum magistratu suo aut sacerdote potuisse copulari numerarique in una persona plures proinde ac si pari potestate essent. quo de ut existimes e contrario, accipe eius structurae latinum exemplum sumptum ex epistula consulum de Bacchanalibus CIL. I 196, 8 et 17 *Bacas vir nequis adiese velet ceiris romanus neve nominus latini neve socium quisquam, nisei pr(aetorem) urbanum adiesent isque de senatuos sententiad, dum ne minus senatoribus C adesent quom ea res cosoleretur, iousisent*, ubi pluralis *iousisent* praetorem et senatum complectitur. hoc verbum in singularem mutatum est a Mommseno, umbricorum monumentorum editores non minus offenderunt in illis *adfertor cum prinovatis precantor*, verum tamen latina umbricam et haec illam dictio tuetur, neque tanquam menda sculptorum rudis et inexercitatae syntaxis inaequalitates corrigi debent. denique si famuli prinovati essent adfertoris, quid opus fuit totiens inculcari nobis *qui insigne magistratus geret*? scilicet cavendum erat ne sacerdotem a calatoribus non satis possent Vmbri discernere, si nomine tantum brevi et simplici illum appellarent, id quod fit VII B 3 *ubi adfertor Atiedius populum lustraverit*, ac non insuper notam ei

peculiarem adicerent. haec igitur cum cogito, prinovatos ordine ac dignitate propius abesse a flamine quam a calatoribus conicio et locum non tam apparitorum obtinere quam legatorum. itaque infra VII A 51 hinc sacerdos illinc prinovati rem gerunt pro populo praemonstrantes ritum quem exsequantur cives quilubet. quod tres fiunt prinovati et sacerdos, respondere numerus videtur dis totidem quibus populus lustratur. quamquam in vetere aere *prinuvatu* numero non notantur, tamen *tuf* versu 41 ipsos quoque duos esse ostendit.

51 ante quam ipsam lustrationem adgrediatur, auspicari flamen debet iterum, non quo locum iam mutarit priorumque auspiciorum fines excesserit, sed quod optimis auspiciis lustrari populum volunt. quemadmodum auspicanti fit ut semel atque iterum non addicant aves (Livius XXVII 16, 15), ita prosperum augurium repetendo confirmatur ac stabilitur. iuvat Germanorum conferre consuetudinem narratam a Tacito Germ. 10: si publice consultaretur, sacerdotem civitatis primum sortes tollere et interpretari, quae si prohiberent, nullam fieri de ea re in eum diem consultationem, sin permisissent, auspiciorum praeter illas fidem exigi. stipulatur aves bonas adfertor, *combifiat* autem id est nuntiat non adfertor sed qui praesto ei est augur, ut supra monui p. 13, sequitur ergo ut *vapef aviecluf* non augur tenere credatur, immo enim hic *tremnu* sedens agere cum adfertore et nuntiare scribitur VI A 2 et 16, sed is cuius iussu auspicia captantur vel ut Romae dicebant cuius spectio est, adfertor. auguraculum hoc noli dubitare quin adiacuerit *vie aviecle*, viae augurali vel sacrae (Varro l. l. V 47). in castris romanis augurale sive auguratorium parte dextra praetorii ad viam principalem adponebatur, ut dux in eo augurium recte capere posset, parte laeva tribunal statuebatur ut augurio accepto adscenderet et exercitum felici auspicio adloqueretur (Hyginus de mun. castr. 11). ante augurale structa erat ara (Tacitus ann. XV 30), inter *asam dereium* et *vapef aviecluf* trahit limitem quo templum constituat augur Iguvinus VI A 9.

52 *amboltu*. quoniam motus itusve significatio postulatur, congruere verbum videtur excepta coniugationis specie cum latino *ambulato*. nam apud antiquissimos ambulare non erat id quod plerumque intellegimus spatiari otiose, sed prope idem quod proficisci et ire. hinc in diverbiis Plautinis formulae istae bene valere iubentium eos qui iter suscipiunt *bene ambulato* et *bene ambula et redambula* sciscitantiumque de salute eius qui peregre advenit *benene ambulatumst?* quas tractarunt Acidalius aliique in Truculento II 4, 18 Captivis II 3, 92 et IV 2, 120 Mostellaria III 2, 166.

52 vetus aes *akeduniamem* unde ei loco in quo civitas Iguvina lustratur nomen idem esse cognoscimus quod oppido Hirpinorum in nummis oscis est *Akudunniad.* hoc Latini appellant *Aquiloniam*, *d* rursum media est in eo nomine quod etiamnum manet *Lacedogna* vel *Cedogna* (cf. Mommseni dialect. p. 246 interpretes Livii X 38). nescio an septentrionalem regionem vocabulum designet, manifestum est populum eo solitum esse convenire. ex I B 41 = VII A 52 collem fuisse putes deorsum versum patentem in forum, fines pomerii attingebat determinatosque habebat cippo vel cippis, singulariter enim *termnom* nova tabula, vetus pluraliter *termnesku* scribit. quam amplum fuerit et spatiosum hoc comitium, non solum inde elucet quod universum populum capiebat sed etiam ex variis locorum nominibus quae includebantur eo adibanturque sacrificandi caussa. Romanos cum urbem lustrarent similiter atque Iguvinos observantes fuisse terminorum ex tenui hac Pauli glossa perspicies *amburbiales hostiae appellabantur quae circum terminos urbis Romae ducebantur.*

53 in vetere exemplari deest *hebetafe.* quod verbum idem atque *ebetrafe* VI A 12 esse arbitror, etsi *r* qua ratione exciderit non video. hoc forsitan peccarit marculus aerarii sollertior alioqui quam ignavior. dictum ab ebitendo exitum murorum urbis significat. porro pro *benust* in aere illo scriptum est futurum simplex *pune menes*, lat. *cum venies.* ac perquam memorabilis haec est *m* et *b* consonantium permutatio, si quidem alias Vmbri *benus benurent* pronuntiarunt communiter cum Oscis, adiuta illa quidem nisi fallor *n* litterae vicinitate, nam cum levem atque exilem in *ben-* vocalem osca *cebnust* forma prodit tum ante *n* moris est ut ita convertatur labialis, quo modo *amnegaverit* homo de plebe posuit in titulo Orelliano 1175 pro *abnegaverit* et Sabinorum progeniem nemo non Samnites vocavit. sed etiam in aliis syllabis non nunquam *b* et *m* commiscentur. quis ignorat graeca *βέλλειν βύρμακας βαρνάμενον* pro *μέλλειν μύρμηκας μαρνάμενον*? *Melerpanta* in speculo CIL. I 60 compositus cum Arione equo clarissimo et clarissimo quadrigario Oinomavo evidenter clarissimus eques est *Bellerophontes*, et promiscue usurpabantur *globus* et *glomus* non solum ab indoctis (Probi appendix p. 198, 8 *globus, non glomus*) sed etiam a doctissimis inferiorum temporum hominibus (Priscianus inst. I 44 p. 34, 8 H. exempla *b* mutatae in *m* duo haec ponit *summitto* et *globus glomus*, idem V 43 p. 170, 1 confusi a vetustissimis generis neutri et masculini haec *guttur, murmur, globus quod etiam hoc glomus dicitur glomeris.* tractatus de idiomatibus generum inter

ea quae apud Latinos masculina, apud Graecos feminina sunt IV p. 574, 44 K. *globus τολύπη*).

exorditur lustrale sacrum adfertor ita ut cives separet a peregrinis alienaeque gentis si quis adsit eum iubeat abire. breviter vetustior tabula *cum venies in Aquiloniam, tunc etudstamu civitatem Tadinatem tribum Tadinatem* eqs. ubi si *exclamato* vel *effamino* substituas, non sufficiat id ad aperiendam vim praecepti, declaratum verbo oportuit studium alienandi prohibendi excludendi. Latini peregrinos proprie dicunt exterminari (Cicero de off. III 47), umbricum verbum num derivatum sit ex nomine *tuder* lat. *finis*, propterea dubito quod in verbo *rs*, in nomine *d* recentior lingua protulit, satius erit tuditem et tuditantes conferre germanicumque eiusdem stirpis vocabulum ac simillimae potestatis *staustan* (angelus Adamum ex paradiso *der treip in ûz, der stiez in ûz, ze jungist warf er in ûz* in Muelleri et Zarnckei lexico med. germ. II 2 p. 665, commutatum *ausstossen* pro gotico *usvairpan* Grimmii referunt lex. I p. 989). descendisse verbum ab hac origine per eos gradus videtur quibus latinus sermo pervenit ad illa *funestare* et *honestare*, genus autem duxisse deponens *κατ' ἀντανάκλασμὸν* ob quem deponentia facta sunt *exsecrari aversari detestari* al. similis Athenis mysteriorum Eleusiniorum erat *πρόρρησις* quam imitatus Alexander praestigiator Abonitichita proclamabat *εἴ τις ἄθεος ἢ Χριστιανὸς ἢ Ἐπικούρειος ἥκει κατάσκοπος τῶν ὀργίων, φευγέτω· εἶτ' εὐθὺς ἐν ἀρχῇ ἐξέλασις ἐγίγνετο, καὶ ὁ μὲν ἡγεῖτο λέγων ἔξω Χριστιανούς, τὸ δὲ πλῆθος ἅπαν ἐπεφθέγγετο ἔξω Ἐπικουρείους* (Lucianus cap. 38). Paulus Festi *exesto* interpretatus *extra esto* addit sic lictorem in quibusdam sacris clamitantem *hostis vinctus mulier virgo exesto* prohibuisse ne interessent, poetae romani sacra narrantes aut informantes aliquotiens praenuntiant *procul ite profani.* Iguvinis proximi sunt inter barbaros et hostes Tadinates Vmbriae populus paene oblitteratus silentio, nominatus in sextae regionis indice oppidorum a Plinio nat. hist. III 114. *tota* civitas est congregata in urbem, *tribum* Vmbros appellasse plagam agrumve latiorem civitati contributum historiae quoque testantur (Livius XXXI 2, 6 *per Vmbriam quam tribum Sapiniam vocant* XXXIII 37, 1 *consul per tribum Sapiniam in Boios venit*, Plinius l. s. interiisse in Vmbria refert Sapinates). post Tadinates Tusca gens nominatur vicina ab occidente, tum Naris accolae in meridiem decurrentis fluvii qui nomen Narniensibus dedit atque Interamnatibus cognomen Nartibus. unum restat nomen ut vetus aes scribit *Iapuzkum*, qua scriptura Iapuges intellegere vetamur, immo

enim dentalem cum sibilante coaluisse *z* argumento est. quemadmodum *pihaz tašez* umbrica respondent latinis *piatus tacitus*, ita illud ex *Iapudscum* processisse concludimus. dempta igitur terminatione, quam eandem iam Niebuhrius prope erat ut agnosceret in Opscis Volscis Tuscis Faliscis, relinquuntur Iapudes remotissimi illi quidem ab Iguvinis ea aetate qua Romani rerum in Italia Galliaque potiti sunt, sed olim dicionem eorum aut saltem belli pacisque commercia in mediam Vmbriam pertinuisse a Padi ripis et Timavi marique Hadriatico abundanter haec lustrationis formula demonstrat. prima Iapudum in romanis annalibus memoria in annum urbis DLXXXIV incidit quo legati Carnorum Histrorumque et Iapudum ad senatum venerunt questum de Cassio consule ex Italia per Illyricum in Macedoniam profecto (Livius XLIII 5, 3). anno DCXXV C. Sempronius consul cum rem adversus eos primo male gessisset, mox victoria cladem emendavit (Livi perioche LIX fin.) triumphumque egisse de Iapudibus kalendis Oct. fertur in actis triumphorum. verum saecula nimio superiora eum viderant rerum statum qui umbricam formulam peperit Iguvinosque movit ut ipsos istos populos nominarent. Romani adversus Vmbros Nequino ad Narem flumen coloniam miserunt anno CDLV (Livius X 10). nomina umbrica in eandem syllabam desinentia quo imitarer, et Narcum fingere ausus sum et Iapudicum cui *Iapuzkum* tam simile est quam Osci Opicis.

54 excipiuntur quibus concessum est in urbe Iguvina domicilium tanquam *μετοίκοις*. hi non ex populo quidem discedere iubentur verum tamen ex hac contione et his sacris. in *nosve* miramur negationem voce expressam gravi ac fusca, nam Osci *neisvae* pronuntiabant Latinique *nisi*, levius sonant etiam umbrica *nep* vel *neip* lat. *neque*, *nersa* et *arnipo* lat. *donec*, *neiḍhabas* lat. *ne adhibeant*. porro *sopir* praeter exspectationem nostram scriptum in nova tabula invenimus, cum *svepis* in vetere sit, quoniam alias recentior quoque lingua *sve* tenuit et *svepo*. nimirum digamma ut periit in latina particula *sei*, ita etiam ab Vmbris excludi coeptum est, verum dum perit obscuriorem continenti vocali colorem inducit. sic *ϝεκυρός* Graeci, Latini *socer*, illi *ϝιδρώς*, hi *sudor*, sic *sopor soror sordes sodalis* priorem habent attenuatam ex *sva-*. quid quod ex eadem stirpe procreata praepositio non tantum *sed se* fuit in *sed fraude seduco* al. sed etiam *so*, licet enim in *socorde* primam alteri vocalem esse adaequatam credas, *sobrium* quo modo tractum ab *ebrio* putabis nisi *o* littera finitam statueris praepositionem? denique etiam dativum pronominis *seso* quo Vmbri utuntur cum ceteri Itali

conveniant in *seffi sifei sibe*, mihi sic explicare in mentem venit ut ex *sesve* deducerem. quemadmodum enim accusativo casu pro personali pronomine possessivum Vmbri et Osci substituerunt *tiom* et *siom* facientes et genetivo Latini *mei tui sui*, ita ille possessivi pronominis, quod in maius apud Vmbros excreverat conduplicando, dativus est, nisi quod discriminans formas usus a prima positione *svesve* in possessivo genere *svese* declinavit — hunc enim dativum ex accusativo *svesu* et ablativo *sveso* colligimus — in personali *seso*. iam ut inspiciamus sententiam, vetus exemplar tantum haec exhibet: *exterminato Tadinates, Tuscum Narcum nomen, Iapudicum nomen. siquis habet, portato illo* eqs. quorum promptissima talis enarratio est *siquis id nomen habet*, neque vero obstat quod praeter nomen etiam *tota* et *trifu* antecesserunt, nam *tota* cum non tam moenia urbis denotet quam universos cives et rem publicam, sane etiam Iguvini oppidi incola dici potuit *totam* habere id est civitatem Tadinatem praesertim in illa nominum complexione. contra quo minus neutra significatione dictum *habe* putemus et interpretemur *siquis eiusmodi hic habitat*, hoc potissimum intercedit quod sic quidnam portandum sit in verbis proximis nescimus. ergo quia et *habe* et *portatu* sibi poscit obiectum, id cum non arbitrio nostro adiungere sed ex sensu superiore elicere debeamus, teneo illam quae statim legenti occurrit interpretationem. in novo autem exemplari formulam quamvis verbosiorem tamen in eandem sententiam esse accipiendam certum est, nec dativus iste *siquis habet huic populo* ullam aliam ob caussam ibi accessit quam quod praescriptum erat *nisi ibitur ex hoc populo*, ut peregrinitas non omnis et absoluta compellaretur, sed Iguvinae rei publicae consueta aut commoda. multo quidem frequentius tale genus loquendi est *res tuas tibi habe*, naturam tamen dativo eandem utrique esse censeo. neque vero quemquam fugiet consulto formulam ita esse constitutam ut et ambitu exaequata inter se et consonantia clausulis bis bina membra paene metrum efficiant illud antiquissimum propriumque Italicae regionis *nosve íer ehésu póplu, sópir habe ésme póple — portátu uló pue mérsest, fétu urú pirse mérsest.* edicit igitur sacerdos, civitatem tribum nomen peregrinum qui habent incolae, ut transferant in sedem permissam eis qui manere velint ab Iguvinis sacraque ferant ipsis convenientia. *fetu* cum plerumque in his tabulis tum hoc loco ad sacrificium spectat ideoque sextum casum recepit. Varro l. lat. VII 88 ut suo quisque ritu sacrificium faciat haruspicem narrat praecipere nescio quando.

56 expulsis peregrinis constituit adfertor distribuitque Iguvinos. *arsmamo*

cateramo imperativa sunt pluralia olim paria cum nominativis pluralibus, tum sic distincta ut in nominibus maneret numeri pluralis nota (*promor* lat. *primi*), interiret in verbis. I B 19 *armunu* scriptum est vitiose, sequitur enim *kuteramu* optionemque fuisse Vmbris aliquando, cum Latini duas componendo syllabas formarent *amamini*, utrum adhibere *mu* an *na* mallent, nimis incredibile est. *arsmom* duxerunt ab *arsmo* nomine quod sacras legitimasque institutiones significat et adpositum ad *nerf* totum paene imperium comprehendit, *arsmatiam percam* exposui insigne gerere magistratus penes quos imperium ac potestas esset. *catera-* a lat. *caterva* non longius recedit quam *seritu* a lat. *servato*, nomen latinum saepissime inponitur militibus cohortibus exercitibus, Horatius equitum turmis iungit peditum catervas, nec semper neque necessario inconditam vastamve multitudinem ita vocitatam esse scaenica histrionum caterva ostendit. populus quem adfertor umbricus lustrat non minus in armis fuit quam quem censor romanus. centuriandi verbo eo rectius uti videbar quod et sono centenarium numerum simillimo Graeci efferunt *ἑκατόν τριακάτιοι* et centuriis Germani quoque concilia bellicasque manus definiunt (Tacitus Germ. 6 et 12).

56 *sacris* non regitur a praepositione (*cum legatis et sacris*) sed quasi instrumentum in isto casu positum est separatim. qua de re certiores nos vetus exemplar facit *enumek apretu tures et pure* id est *tunc ambito tauris et igne*, ubi maximae victimae instar omnium nominantur. sic Romae in lustro cum fieret suovitaurilibus, Africanus apud Ciceronem de or. II 268 *lustrum condidit et taurum immolavit*, et quod summatim dicebant tauros, idcirco etiam solitaurilia ipsa illa suovitaurilia appellare consuerunt.

57 Romae lustrans populum censor sacrum facit Marti deo campi Martii potenti (Dionysius IV 22), agrum lustrans dominus Ianum Iovemque praefatus precatur Martem patrem (Cato r. rust. 141). item Martia numina tria, sive triplicem Martem dicere fas est, Iguvini invocant. ex quibus Tursam Martis, quia nomen hoc cum *tursitu* verbo concordat, cum Pavore et Pallore componere in promptu est, Praestatam autem cui caussa nominis eadem est ac Laribus praestitibus et Praestanae Quirini, cum Honore et Virtute aut Victoria. quomodo *parfam* Vmbri, Latini *parram* vocarunt, sic *Cerfe* latine fit *Cerre*. non extare quidem hoc hodie in litteris latinis putatur, verum recordari oportet, quo tempore in patera Volcente inscriptum est *Keri pocolom* (CIL. I 46), nondum coeptas esse geminari consonantes. neque ex Saliari carmine quae adferunt Paulus

Festi p. 122 *Cerus manus* et Varro l. lat. VII 26 certa coniectura emendatus *duonus Cerus es*, ne haec quidem obstant quo minus pronuntiandum *Kerrus* credamus. sic osce *Kerríia* scriptitatum est in aere celeberrimo, *Keria* in plumbo nuper invento quod nullas consonantes habet geminatas. tres deos Iguvini hostibus diras imprecantes in unum colligunt numero singulari (*tursitu* eqs.), sibi fausta ominantes pluralem praeferunt (*fututo foner*).

59 *nerf šihitu anšihitu, iovie hostatu anhostatu.* frequentatur haec figura in precationibus verbisque sollemnibus. sic Vmbri *virseto avirseto vas* et *veskla snata asnata*, sic Latini *morbos visos invisosque* (Cato r. r. 141) et in Saliari carmine *pennatas impennatasque agnas* quas Paulo teste spicas cum aristis et sine aristis intellegi voluerant. iam *cihitu* concedam minime pugnare cum grammatica arte si quis idem valere atque *cinctos* statuat. *incinctos* Latini quidem eodem quo *cinctos* sensu nec pro discinctis ponunt, licet adversetur Hertzbergius ad Properti IV 2 38 p. 420 illos reprehendens qui verba Ovidi *huc venit incinctus tunicam mercator* fast. V 675 aliter interpretantur ac Propertiana *mundus demissis institor in tunicis*, verum oblitus est feriatum ac sacrificantem veste decora describi ab Ovidio, a Propertio merces vendentem cultu cottidiano. nihilo setius tamen *ancihitu* acciperem non cinctos, sicut ignotum Latio vocabulum ex *anhostatu* reddere audemus, modo in *nerf* epitheta illa optime omnium quadrare viderem. sunt sane cinctus et cingulum et procinctus apta militiae exercituque vocabula et Maecenatis mollitiem Seneca epist. 114, 6 indignatus etiam cum absentis Caesaris partibus fungeretur, signum petitum a discincto exprobrat. belli vero ac virtutis momentis ponderanti non superiora videntur illis quibus ceteri milites ornantur hasta et armis sed inferiora (cf. A Muellerum de cingulo militiae p. 7). et tamen *nerf* non solum praepositos *iovies* vides sed etiam ut patricios ac primarios viros universis civibus excellere nosti. quales cum equitatum constituere soleant in priscis rebus publicis cumque rex romanus lustrum condat *τάξας τούς τε ἱππεῖς κατὰ τέλη καὶ τοὺς πεζοὺς ἐν φάλαγγι καὶ τοὺς ἐσταλμένους τὸν ψιλικὸν ὁπλισμὸν ἐν τοῖς ἰδίοις ἑκάστους λόχοις*, redeundum censeo ad eam interpretationem qua *cihitu* aptemus equitibus. idem igitur mihi est ac latinum *citos*, in carmine non minus producta syllaba effertur *excíta iuventus* quam correpta *éxcita sacris*, valde usitatum hoc in re equestri verbum *cedit citu celsu tolutim, equites parent citi, citus quadrupes, citis quadrigis, concitato equo*, insanis honoribus Incitatum equum suum Caligula adfecit. Romani equites antiquissimum nomen habebant

celeres, dux equitum tribunus celerum appellabatur, curam moenium poenamque transilientis muros fratris *hoc Celer urguet opus quem Romulus ipse vocarat:* Iguvinos proceribus equo merentibus cognomen citis indidisse num dissimile veri est? neque vero omnes proceres militiam exercent equestrem, sed ut Theseus Sophocleus totum populum *ἄνιππον ἱππότην τε* cogit adversus Creontem *σπεύδειν ἀπὸ ῥυτῆρος*, ita *nerf* Iguvini cunctos comprehendunt his notis *citos incitos.* nam ne hoc quidem antitheton defuerat sermoni latino, etsi postea fere exolevit nec remansit nisi artatis notionis finibus in lusu calculorum, qui si moveri non poterant dicebantur inciti (Isidorus orig. XIX 67) pervulgatumque est de inopia et angustiis proverbium *redigi ad incita* vel *ad incitas.* post *nerf* in eis precibus quibus Iguvinae civitatis et institutionum salutem exoptant, separatim nominant *virof,* hic in metu hostili bellique periculis *iovie* id est qui munera militiae obire solent remque publicam in re militari iuvare iuniores (Varro apud Censorinum 14, 2 Gellius X 28 al.). significatu enim etsi *n* in clausula desideratur non multum abhorret hoc nomen ab eo quo iuventutem populi cognati appellant, declinatu vero proximum est a latino *dies.* dividuntur milites in hastatos et sine hastis pugnantes levioribus armis ut velites.

60 diris onerant hostem et ut omni modo pereat precantur bina vocabula ut sono ita significatu constringentes artius. quod carmen imitandi latine periculum feci, nemo tamen nescit in nulla lingua alia istam verborum speciem simul ac potestatem posse renovari. breviter igitur vim singulis verbis subiectam adnotabo. *tursitu* terreto, *tremitu* tremefacito: non absona Ennius ita composuit *Africa terribili tremit horrida terra tumultu*, Homerus *μήτ' ἄρ τι λίην τρέε μήτε τι τάρβει. hondu* nolo divelli ab *hondomu* lat. *infumo* et *hondra* lat. *infra*, ab ipso denominatum est *huntak vuke* quod est in area aedis, in solo atrii, *Hunte Iuvie* cum faciunt catulo II A, mihi videntur instituere inferias, e latinis respondet fortasse *fundito.* in carmine triumphali composuerant *fundit fugat prosternit maxumas legiones, holtu* autem cum prorsus ignotum sit ac solitarium, nescio an committi possit cum *fallito.* quod sequitur aperte est *ninguito,* nivosae autem hiemis calamitatem Apennini accolis non inexpertam variis coloribus Dionysius ant. XII 8 depingit. Lucretius quietas deorum sedes praedicat *quas neque concutiant venti neque nubila nimbis adspergant neque nix acri concreta pruina cana cadens violet* (III 19) quo exemplo cum nivibus nimbos sociavi, inundationem enim minatur *nepitu* et Neptuni utriusque iram. *sonitu* rursum con-

venit cum latino verbo etiam si ad actionem inversum est transitivam ut *tremitu* supra, subeunt mentem, dum hoc quid velit exputo, *venti tempestatesque sonorae* et metu omnia lymphans deus cuius *vox omnes super una tubas.* conexa est cum sonoribus terrificis saeva rabies quae agitat et stimulat et percutit amentes, nempe *savitu* cum eandem rationem ad *σοῦσθαι* habeat quam latinum *lavito* ad *λοῦσθαι*, expono *σοβείτω θορυβείτω διωκέτω.* iam *preplotatu* cur ad pluviam ac *πλοῦν* nolim referri, facile perspicies si vel *nepitu* quod antecessit vel quod adhaeret *previšlatu* expenderis. nimirum decimum hoc et postremum verbum, si debilem evanidamque maxime litteram excipimus, nihil differt a *praevinclato,* continet membra eadem quibus praevinctos praestrictos praeligatos Latini composuerunt, denotat captivitatem alienique tolerandi imperii necessitatem. cui praemitti consentaneum est ipsam cladem bellique gerundi ignaviam. tradit autem Festus apud Vmbros Plotum id est Plautum a pedum planitie nomen traxisse appellarique semiplotia venatorum dimidiatas soleas, potest igitur *preplotatu* latine reddi *praeplantato* derivatumque credi a planta pedis, unde supplantandi verbum Latini sumpserunt, similiter ac *praepedire* a pede. neque vereor ne huius originis vocabulum in extrema devotione conlocatum parum habere videatur roboris et nervorum, modo tritos sub pede hostes intellegas (*conterit legiones* Naevius, *proterunt hostium copias* Plautus, item *obterere atterere* in rebus bellicis plurimi) plantaeque eam vim tribuas quam calx sibi vindicat in conculcando et proculcando. sic igitur mihi placet consistere in certa et testata vocis significatione, etsi non infitior etiam alias etymologo patere vias eamque posse cognationem statui inter umbricum *plotatu* et latinum *pultato* qua latina inter se *cretus* et *certus* coniuncta sunt, posse ergo *preplotatu* comparari cum *propulsato.* memorabo denique in transcursu versum Afranii 327 R. *in Nortinos iam quantum pote explodam hominem ut vilicet* ubi satis insolenter ac moleste *explodam* scriptum est pro *expellam eiciam* fuitque cum dubitarem, quia e Leidensi codice enotatum vidi *explotam*, an aliud verbum poeta ex sermone volgari arripuisset, verum tamen etiam apud Senecam cons. ad Marciam 10, 6 homines luctati cum fluctibus in litus dicuntur explodi. in Marci euangelio 9, 18 *ῥήσσειν* spiritus inpurus hominem scribitur, in Italae codice Cantabrigiensi *applotare*, in Vulgata *allidere* (Roenschius de Itala p. 213). potuit igitur tam *explota* quam *expulsa* latinae plebi suboriri et promiscue utrumque usurpari.

Romani cum pro re publica legionibusque se devovent, deos precantur *ut*

populo romano Quiritium vim victoriamque prosperent hostesque populi romani Quiritium terrore formidine morteque afficiant (Livius VIII 9, 7). Vmbrorum hae preces eo discrepant quod perniciem hostium priore loco petunt, posteriore suam salutem. exsecrationis formula aeque canora et religiosa in latinis litteris non extat: oppugnans civitatem imperator deos quibus illa in tutela est sic evocat *abs his abeatis eique populo civitati metum formidinem oblivionem iniciatis*, mox urbem exercitumque sic devovet *Carthaginem exercitumque quem ego me sentio dicere, fuga formidine terroreque compleatis* ac deinde *eos hostes eosque homines abducatis, lumine supero privetis, capita aetatesque eorum devotas consecratasque habeatis*: particulas adposui, tota transcribere carmina nolui cum praesertim non tantam prae se ferant quantam Sammonicus in Macrobii sat. III 9 professus est vetustatem. velut neque ita late serpit adnominatio nec notiones et vocabula cinctutos Cethegos et Albano in monte locutas Musas redolent. remansere vero priscae et copiosae orationis multa vestigia, in his etiam composita *populus civitasque*. formidines in illis carminibus non recensentur caelestes aut physicae, inveniuntur autem in lege Begoae qua terminorum sancitur fides inviolata (agrimensorum p. 351 Lachm.): qui contigerit terminum moveritque, damnabitur a dis, scelere eius domus extirpabitur gensque omnis interibit, terra a tempestatibus et turbinibus movebitur, fructus decutientur imbribus atque grandine, caniculis et robigine occident.

62 *eorum nomini, eius nomini.* hoc pronomen si ambigis utro sit referendum, *erar* umbricum non potes nisi civitati accommodare.

precatione peracta qui lustro faciundo praeest adfertor tanquam deducturus imperator exercitum iubet proficisci. Romae Varro refert a censore exercitum quem constituit quinquennalem in urbem ad vexillum duci l. lat. VI 93, Macedonum exercitus postquam lustratus est inter discissae hostiae viscera ad dextram et ad laevam posita in campo decurrit concurritque ad simulacrum pugnae (Livius XL 7). quoniam ipsa lustratio formula illa finitur, meminerimus etiam in catholica ecclesia abituram ex sacrificio contionem sic compellari: *ite, missa est.* Latini *itare* frequentationis caussa ponunt, Vmbri cum populum non *eom* sed *etom* dicunt, incitationem magis et incrementa itineris spectasse videntur, illud ut *ire* sit, hoc *proficisci.* ex *fu-* imperativus factus est singularis *futu*, pluralis *fututo* ut in latinis *esto* et *estote*, at ex *eta-* pluralis *etato* tantum, fortasse ne nimia coacervaretur parilium syllabarum multitudo.

65 *ter ambito, ter precamino, ter 'itote Iguvini'. tunc prinovati retro eunto, eadem via retro eunto prinovati* sic vetus tabula. fallor an vicem praestant prinovati cum discedunt universi populi, qui abire iussus tamen sine dubio tantisper resistit dum animalia dis immolantur sacrumque peragitur? quod eadem via discedunt qua advenerunt id est via sacra (v. 52), augurium fortasse hoc esse voluere feliciter redeuntis et triumphantis exercitus. plurative qui acceperunt *easdem vias*, non solum cum superiore illo versu ac verbo pugnant sed ne repugnasse quidem videntur viae quid sint, nam in hanc sententiam necesse fuit scribi *eceront vier, eisdem viis.* ergo *erafont* constat *era* pronomine et *font* coniunctione, et cum *h* saepe ex *f* oriatur, *f* ex *h* numquam, hoc uno loco remansisse iudicanda est coniunctionis plerumque deminutae prisca et integra facies. nempe *erifont* sic in *erihont eront* transformatum est ut *efust* in *iust* (VI B 47, A 7). expedit fortasse reminisci latinam locutionem de qua optumus omnium patronus cum Balbum defenderet verbosius quam peritius dixit, nam fundus populus fit cum ius alienum sua sententia conprobat vel legem qua Romani tenentur eandem ille sciscit (nugatus est Paulus Festi cum scripsit *fundus dicitur populus esse rei quam alienat*, immo enim *quae alienast*). non domum dimittuntur senatores illi vel legati, si quidem rursum apparent in consummatione sacrificii VII A 46 neque est cur alios esse *prinvatuf* hos atque illos statuamus, verum *šimo* eunt, id est quia terminus ad quem usque processerant regiones disiungit ulteriorem et citeriorem, in partem citimam ab illo termino vel proximam ei loco unde exierant. *cimo* superlativo gradu Vmbri efferebant ut *somo* lat. *summum* et *hondomu* lat. *infumo*, ut Osci *posmom* lat. *postremum*. Latini adverbia ab eadem stirpe per comparativum derivarunt *ultro citroque commeare, tela citra cadebant, cis Tiberim redire.*

VII A 1 quoniam continuatur hoc aere descriptio sacri incohata in altero, quo clarius omnes intellegerent quo modo tabulam tabulae coagmentare deberent, postremus aeris VI versus totus repetitus est in aere VII. tum secuntur caerimoniae tam similes eis quibus arcem piantes Iguvini utuntur, ut illas postquam explicavimus, de his pauca verba sufficiant. hostiae enim antea circum actae iam mactantur tribus locis quae in Aquilonia fuisse puto circum id spatium quod populus lustrandus obtinet. primum *fondlire* immolat sacerdos quem redeuntem ad terminum vidimus VI B 64 ex circuitu ita ut nunc ab ultimis venire ad citeriora videatur, tum *rubine*, postremum *traf sahate*. exta tamen tribus his locis

uno tempore dantur eandem ob causam ut opinor, ob quam Macedones unam distraxerunt hostiam cum lustrarent exercitum et ab utraque parte militibus conlocarunt, sic enim non singulos singula sed universos unum sacrum ferre scias. itaque *traf sahate* positus sacerdos primum voce sive mavis clamore imperat ut exta dentur *fondlire,* tum retrorsum *rubiname* idem ut fiat, ad extremum *tra sahatam* idem illud mandat. unde triangulam formam eumque situm locorum concludo, ut *traf sahate* qui stat, a tergo *rubinam* habeat ex obliquo prospiciens eum locum quo sacrificavit primum, huic autem *rubina* fere e regione sit. iam Tursae quoniam *tra sahate* fit, hoc est illud *tefrom Tursar* ex quo deam comprecati flamen comitesque fugare iuvencas iubentur VII A 46 et 51. ac flamen quidem *super kumne* agitat I B 41 id est supra contionem, pro comitio (vide annalem Fleckeiseni a. 1875 p. 131), cui loco oppositum est forum infimum, *hutra furu* I B 42 *hondra furo* VII A 52. itaque pelluntur capiunturque hostiae in comitio et foro, caeduntur autem in Aquilonia, quod nomen non esset adpositum I B 43 et VII A 52 nisi diversum ab Aquilonia et disiunctum forum fuisset. verum tamen alterum cum altera cohaeret et ubi inter se contingunt, ibi est *tra sahate.* praeter haec de trium locorum nominibus vix quidquam audeo adfirmare. nam si Argileto aliisve urbis Romae regionibus quae caussa sit nominis haud facile exploratur, cum linguae tamen latinae idonea nobis notitia suppetat, quanto est difficilius umbricorum locorum etyma enodare. *fondlire* aequo iure interpretari *in fundulis* et *in fonticulis* licet. in oppido Varro l. lat. V 145 vicos a via dictos ait, fundulas a fundo quod exitum non habeant ac pervium non sit. at fontium memoriam cum sanctitate cultam, ut verba Frontini repetam (de aquis I 4), Fontanalia adstruunt et ad campum Martium porta Fontinalis et in campo fons Cati, in foro lacus Iuturnae. Parilibus pastor oves lustrans deam precatur ut fontes fontanaque placet numina, tum sparsos per nemus omne deos (Ovidius fast. IV 757 ss.), lustrans exercitum Romulus ad Capreae paludem subito nusquam comparuit (de viris illustr. 2, 13 al.), nec fluvios nec frondes Valerius praetermisit in lustratione Argonautarum (III 435). valde autem erraret siquis *fondlire* ita verteret *ad fontes*, hoc enim si voluissent significare, Vmbros pronuntiaturos fuisse *fondlisco* satis pro certo scimus. immo explicandum nomen est ad similitudinem vici Atheniensis *ἐν Λίμναις*, si tamen a fonte descendit ac non a fundo. alter locus *rubina* in aere VII scribitur, in I *rupina* ac semel plenius versu 27 *rupinie.* pariter veteres Vmbri modo *spiniam*

modo *spinam* efferunt in tabula II, in Graecia *κενεά κειvά κέννα κενά* alii aliter mutarunt, prorsus periit iota consonans nasalem subsequens in *minus* suntque qui vestigium eius superesse credant productam mediam in *regina,* insipienter quidem si grammaticum quendam tusce quam latine doctiorem ea de re audimus ferentem sententiam, sed reapse admodum probabiliter ut exempla docent umbrica. iam quaeritur utra verior sit littera propiorque originem *b* an *p.* extenuarint sonum more suo vetustiores Vmbri rupiniam vocantes pro rubinia velut arbitratus induruit in *adputrati* V A 12, an recentiores sicut *Iabusco* ab Iapudibus traxere ita concinens cum rupibus ac rupina vocabulum in mollius flexerint. mihi prior coniectura magis probatur ideo quod cognatum esse hoc loci nomen mihi persuasi cum ea re quae hoc loco memoratur neque ullo alio, cum *ruse.* nam haec forma cum *rup-* nullo vinculo compacta est, cum *rub-* autem tam bene committitur quam cum rubro russus et si dubia adiungere permittitur cum rubeto ruscus, quia *rudh-* non solum in *ruf- rub-* transit sed etiam per dentalium concursum in sibilum ut *rudta russa.* precatur sacerdos et libat *ruseme* hoc loco sicut alias *persome* id est in fossam terramve, atra vascula eo admovet neque vero quae atris inponuntur alba, itaque areae humive similem rem significatam arbitror praesertim cum nova precum gravitas a viae mentione repetatur. faciamus herbam appellari *rusem*, et *rubinia* erit prato nomen: faciamus fruticem, et consequetur virgetum. terrae numen variis Romani vocabulis indigitantes Tellurem Tellumonem Altorem Rusorem venerabantur, ut Varro tradiderat, Altorem quod ex terra aluntur omnia, Rusorem quod rursus cuncta eodem revolvuntur (Augustinus de civ. d. VII 23), sed quod Altoris etymon recte expedivit, fidem non fecit notationi Rusoris. praeterea satis sit memorasse laudata fertilitate et ubertate *Rosea rura* Velini, in quibus Caesar Strabo iocatus est relictam perticam postridie non apparere propter herbam (Varro r. rust. I 7 extr.). nam serio his et umbricis de quibus quaerimus vocabulis eandem originem esse equidem non ausim contendere. super caespitem Tacitus hist. IV 53 reddita exta scribit cum Capitolium Vespasianus restituendum curaret lustrata suovitaurilibus area. denique tertius restat locus, *traf sahate* vel *sahatam,* utrumque enim casum copulatum cum praepositione nomen recipit pro ut ibi stat sacerdos aut vadit eo et mittit, in vetere tabula *tra sate* vel *sahta* scriptum est. limitem quendam ut intellegamus disterminantem ac dissaepientem tractus longiores ipsa praepositio suadet, supra autem quae disserui, inde mihi factum est veri simile

hac *sahata* intercurrente distineri forum et Aquiloniam, quod si ita fuit, non male consummare sacrificium flamen ibi iubetur ubi utrique regioni confinis uno quasi gradu a foro citerior stat. in osca lege templi Cerialis *saahtom teforom* prius verbum nemo dubitat quin sit lat. *sanctum*, neque umbricum *sahata* mihi aliud videtur valere quam *sancta.* huic deest fortasse viae nomen, quemadmodum Graecis a tabulae lapillorumque lusu, cum ceteras vias media secaret ἡ ἱερὰ γραμμή, in proverbium cessit brevis et amputata locutio κινεῖν τὸν ἀφ' ἱερᾶς, ac *viam* Latini omittunt in his *quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina* et *hanc compendiariam excogitavit.*

8 *pesclom* olim scripsi modo totam supplicationem vocari modo singularem precationem, precatio autem quam late pateat existimari volo ex precandi verbo (*persnimu*) quod non tam vocis usum quam habitum quendam gestumque designat testem supplicationis, cum persaepe taciti precentur. qua re sacerdotem Vmbri modo vasculis venerantem faciunt, *vesclir persnimu,* modo hac ipsa precatione ut versu 34 *persclu persnimu* cf. v. 20 *persclu deitu.* in Latinis nunc obsecrationem posui quae et iungitur cum supplicatione et ab hac distinguitur utpote contraria gratulationi species, vide Livi interpretes Drakenborchium ad XXXI 9, 5 et Weissenbornium ad XXVII 11, 6.

11 *prevendu.* e contrario sibi pacem ac salutem poscentes versu 27 *ahavendu atero* dicunt in eam sententiam quam vel Cato expressit cap. 141 ingeminando *ut morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis defendas averruncesque* vel Tibullus II 1, 17 *di patrii, purgamus agros purgamus agrestes, vos mala de nostris pellite limitibus.* latinum aut graecum verbum compar umbrico non reperio, at germanicum extat *afvandjan abwenden.* e latina consuetudine cum *avertito* adscivissem, hic mutari praepositionem oportuit, tametsi fere eandem vim *prae* servat in deponenti verbo *id quod agitur, huic rei primum praevorti decet* id est rei quae agitur obverti vel attendere. *atero,* nisi me omnia fallunt, ex arcano huius sacri consilio, ex vasorum nigro et albo colore pictorum dilectu ac nigrorum oppressione aptum est ita ut parvi ducendum sit quo ab *adrir* separatur vocis discrimen. potuit enim fieri ut *atero* adiectivum nomen elisa tenui vocali mollesceret in *adro,* substantivum vero vocalem retineret ideoque ne consonantem quidem antiquam et asperam recusaret, contra quam Latini *Asprum* et *asperum* distinxerunt nomini proprio tam constanter detrahentes vocalem quam innectentes adiectivo. potuit etiam ut ex-

tento aliquo ramulo *ater* stirps cresceret in amplius, velut in Latio a magistro magisterium vel in Samnio a famulo *famelo* processit, eaque ratione adauctum *atero* vel *aterro* paulum secederet ab *adru.* sed ut ut hoc est, ab atritate sic dictum puto infortunium. ceterum atra albis non solum Vmbri sed etiam Latini veteres semper opponunt, nigra autem neutiquam frequentant, *nescio utrum sis albus an ater homo* sic viri boni loquebantur omnes, at libertinus fabellarum conditor *unde illa scivit niger an albus nascerer?* iam praeberi hostibus et a sese prohiberi malum volunt *via ecla.* Cicero in Pisonem § 33 *utrum optabilius putas sic exire e patria, ut omnes sui cives salutem incolumitatem reditum precentur, quod mihi accidit, an quod tibi proficiscenti evenit, ut omnes exsecrarentur, male precarentur, unam tibi illam viam et perpetuam esse vellent?* ut ullus ad unum, sic *ecla* ad *eco* pronomen quo linguae cognatae varie utuntur. Osci *ekak ekass* ita adhibent ut Latini *hanc has.* hi ipsi sumpsisse indidem videntur quae maxime inter se differunt specie *eccum ecce* et quae indefinitam reddunt ex finita interrogationem *ecquid ecquando.* Vmbri quos oscae consuetudinis expertes fuisse monumenta liquido confirmant, *ecla* formae eam vim adiunxerunt ut una quaeque, ut ἑκάστη intellegeretur. deprecatio haec qua tristia omina in hostes averterentur etiam Romae sollemnis fuit, traxerunt inde Propertius et Ovidius illa *hostibus eveniat lenta puella meis* vel *hostibus eveniant convivia talia nostris* (vide Burmannum ad Prop. III 6, 20), Horatius Galateae caussa auspicatus *hostium uxores puerique caecos sentiant motus orientis austri.* Aeschylus in exodo Supplicum στυγερῶν πέλοι τόδ' ἆθλον.

39 praemonetur sacerdos hoc loco ut capides ex hoc sacrificio asportet. neque enim continuo auferendae sunt sed postea demum quam ex tertia statione redierit, quamobrem iteratur hoc praeceptum versu 45. itidem tabula I hoc loco exhibet *kapi sakra aitu, vesklu vetu atru alfu,* deinde trans sanctam ubi operatus flamen est repetit *kapi sakra aitu, vesklu vetu.* posteriore membro tangi ritum late perscriptum in tabula VII verba colorem indicantia demonstrant, per *vetu* autem depulsionem quandam aut saltem motum imperari et prioris membri similitudo persuadet et ipsa iteratio quae vovendi aut eius generis verbum omnino aspernatur. etymon eo minus perspicuum est quod in medio littera intercidisse potest una aut altera. velut cum *motam* Vmbri appellent quam ceteri Itali *moltam multam,* quis miraretur si *veltu* ita infractum comperiret? ego vero dubitaram primo an idem esset verbum illud, in quo tanquam fores in cardine preces omnes vertuntur super vascula conceptae *ahavendu prevendu.* et enim in

vetustioribus tabulis *ustetu* saepe scribitur pro *ustentu ostendu.* sed mox in superiorem quidem locum, non tamen in alterum et inferiorem quadrare intellexi versuram vasculorum aut permutationem. quocirca nunc *vetu* interpretor *vehito* eoque et compar verbum priori *aitu* nanciscimur et cur posterius hoc membrum in aere VII versu 45 praetermissum sit patebit, nam hinc capides et vascula hinc agere et vehere tanto opere conspirant ut altero praecepto propemodum alterum quoque contineatur. quod *aḍveitu* scriptum cum *i* invenimus et *kuveitu*, eadem varietate declinarunt *fetu* et *feitu*, estque etiam ut aliam simplex aliam compositum verbum coniugationem sequatur. *aḍveitu* paene degeneravit in notionem admovendi vel adiciendi, in *vetu* ad vim ferendi accedit molis onerisque momentum.

43 nihil magis memorabile est aut magis idoneum ad describendos fines quos ultra citraque nequeat rectum consistere analogiae umbricae iudicium, quam quod hoc uno loco antiquissima et integerrima resedit casus quarti plurativi terminatio *abrons*, cum alias semper abierit in *abrof.* verum cur ad illam hic redirent hoc in caussa fuisse opinor, quod proxumo verbo *f* littera principium est eique eandem committi finalem moleste tulerunt. in vetustis quidem tabulis plurima leguntur duarum *f* sic concurrentium exempla *buf fetu, kumiaf feitu, sif feliuf fetu, kaleḍuf fetu, hapinaf fetu, zeḍef fetu, uvef furfat, vitlaf feitu, apruf fakurent, frehtef fertu*, at in novis unum licet noviens repetitum *trif fetu.* dempta ibi *f* est in commissura ceteris nominibus omnibus *calersu fetu, serse fetu, ovi furfant* et aliis septem (nempe *castruo fri* octiens quidem legimus, pro uno tamen numeravi exemplo), cum vetustiora aera quattuor exhibeant nomina similiter detrita. itaque quo modo Latini ex vocabulis permultis quam traditam acceperant *f* depulerunt, sic recentiores Vmbri aures magis teretes quam maiores eorum habuisse et istam quidem ex concursu scabritiam fugitasse videntur. atque cum *abro facurent* non possent facere, ne deficiente numeri pluralis nota oratio ambigua evaderet, *abrons* praeoptaverunt. comprobatur autem hac re proxumum ac perpetuum *ns* et *f* sonorum apud Vmbros commercium. etiam Osci usque *f* ex *ns* produxere, non quidem accusativo casu qui est *víass* sed nominativo qui *fruktatiuf* factus est ex *fruktatiuns.* Romae *stationem* vocabant, *statinom* Boviani: sentisne quid sit in lege sacra *statíf*? scilicet idem in singulari numero quod in plurali *statos*, quoniam *staz* fuit cur displiceret. *statíf* ad *fruktatiuf* similiter ac lat. *alis* ad *alius*, in Oscis *Kalinis* ad *Pompties* al. de significatu autem ne

fallaris, numerantur in altera parte aeris statuae in altera arae ad fanum Cerri pertinentes, cuiusmodi indices vel synopsis in latinis titulis plures habemus, potestque tanquam summarium laterculo priori praescribi quod primum legitur in Nemorensi inscriptione (Hermae VI p. 8) *signa n(umero) XVII.*

43 non ipsum flaminem *erus* dare sed nescio quem alium apertum est. tamen quis det, quoniam nihil interest, non indicatur. faciunt apros id est mactatos apparant plures, unus satis est qui adoleat. hos vero sacrorum ministros, ad *prinvatuf* si reverteris, reputa non memoratos esse nominatim.

46 *andirsafust*, in vetere exemplari *ateḍafust.* id verbum tertium accedit eis quae supra legebamus *ambrefurent* et *anferom*, quorum hoc hanc rem divinam universam indicat, illud populi modo constituti circuitum. differt ab *anferom* recepta partitione, si quidem ter populus hic dicitur *andirsos*, ab *ambreom* ea re opinor quae inter circuitionem illam et hanc precationem intercessit, tum enim quae circum agebantur hostiae, interim tribus locis sacrificatae sunt pro populo eumque circumsteterunt tanquam praesidia urbem, apud Valerium Argon. III 439 etiam *prosecta* lustralia *per medios gerit obvius* augur. latine ut verbum pro verbo reddamus, non dubito amplecti quod olim est propositum *circumdederit*, nam quod simplex *dirsust teḍust* est a *did-* figuratum, hoc a *dida-*, conferre licebit non pauca quae peior latinitas novavit velut *adiuvavi praestavi desinui fefellitus sum* pro *adiuvi praestiti desii falsus sum* aliaque nuper congesta ab Ottio in Fleckeiseni annali a. 1874 p. 792 et 833 et a. 1875 p. 652. et cum *pihander* abire soleat in *pihanner*, tamen nihil mirum si *d* stetit post *n* in ea syllaba quae integrum suaeque potestatis verbum exordiretur. ceterum in *postertio*, quoniam *pos* praepositio alibi sextum casum ducit et quartum alibi *tertim* habemus, ablativum rursus deprehendo sic ut *sveso* VII B 1 abhorrentem a terminatione communi in *u.* praepositionem illam Osci quoque cum ablativo iungunt.

51 *postquam tertium populum lustraverit, iuvencam opimam fugato super comitio adfertor, prinovati duas fuganto. infra forum promiscue capiunto. eas iuvencas tres in Aquilonia facito* sic aes I B: in VII *ivenga peracrio* iuvencas dilectas dici puto ex opimis. de interpunctione dubites in utroque exemplari *infra forum* utrum fugae an prensionis verbo adtribuendum sit. at si post *forum* fieret distinctio, manifesto agitaturi iuvencas legati alium, alium flamen locum occuparent secundum veterem legem, cuius tamen discriminis nullum in nova lege vestigium apparet. qua re cum concordare eas quam dissidere hac in re

sit probabilius, verba sic ut supra feci disiungenda sunt, tabulasque si inspexeris, scripturam earum et dispositionem non infitiaberis huic sententiae patrocinari. vitulae hostium instar fugatae captae mactatae victoriam ac felicitatem populi portendunt. Romae III nonas Quinctiles feriae erant Poplifugia nominatae sic ut Regifugium VI kalendas Martias, de quibus cum fabulas satis multas libri veterum referant, tamen quo ritu celebratae sint nescimus. Varro l. lat. VI 18 *aliquot* inquit *huius diei vestigia fugae in sacris apparent*, Piso in annalibus vitulam victoriam nominari hoc argumento probarat quod postridie nonas illas re bene gesta, cum pridie populus a Tuscis in fugam versus esset unde poplifugia vocarentur, propter victoriam certis diebus fieret vitulatio (Macrobius sat. III 2, 14). eodem die Romulus subito nusquam comparuisse ferebatur cum exercitum lustraret. unde aliqua Poplifugiorum cum Iguvina lustratione similitudo pellucet, neque vero tanta aut tam certa ex qua utile quid addiscamus. cf. Schweglerum historiae rom. I p. 532 ss. et Mommsenum CIL. I p. 396. Athenis δίωγμα aut ἀποδίωγμα dum Thesmophoria agunt mulieres instituunt sacrificantes cf. Lobeckium Aglaophami p. 680.

52 *sehemeniar* necesse est prope accedere ad vim omissae in I locutionis *quis volet civis*. quod si non ita esset, inprobus existeret duorum exemplarium dissensus quia in I flamen et legati, in VII cives quilubet capere iuberentur. adverbium tanquam *promiscam* sed genetivo casu ortum et conexum videtur cum *sehmenier dequrier* ut comparari talia possint *universim gregatim curiatim*. Semoniae institutum fuisse in sacris romanis ut publice facerent bidente cum civis necaretur damnatus, Sinnius testatur in lacerata Festi glossa *supplicium* p. 309 M. unde rem civium communem in deae illius tutela fuisse conicias.

54 in tabula I infima subscriptus continuatusque fugam simulanti caerimoniae hic est versiculus *kvestretie usaie svesu vuvši stitisteteies*, sic enim distinguenda sunt conglutinata aut perperam interpuncta verba. eadem subscriptio de Feralibus edictum finit in extremo aere II A porrecta in transversum. ibi *usaše* legitur et redacta ad dimidias conduplicatione verbi *stisteteies*. interpretor *quaesturae annuae suum votum stiterint* id est quod quis ex voto privatim lustro quoque aut feriis quibusque sacrum ferre volet, id quaestori quicumque tum erit sistat. *stitisteteies*, nam reliqua pridem explicavi, perfectum optativi est, ut *sto* in *sisto* ita *steti* in umbrica illa forma inest duplicatum, tertia persona pluralis optativi terminatur praesenti tempore in *ians ias* velut *etaians*, perfecto in *iens*

ies unde Osci *íns* fecere in *tríbarakattíns* cf. latina *sient sint servassint* et graeca σταῖεν θεῖεν ab umbricis oscisque eo differentia quod aut integram *t* aut nullum eius vestigium servarunt. in aere Volsco (Fabretti corp. inscr. ital. 2736) *sistiatiens* idem valet quod *statuerunt*, eandem vim verbi requirimus in Frentano titulo CIL. I p. 555 ubi *sest.a.plens* male descriptum videtur. at Vmbri statuendi notionem quo exprimerent, novum ab stando verbum deduxere *statitatu*, dis autem vota sisti dixerunt congruentes cum Latinis in praesenti tempore *seste* id est *sistis* II B 22. commiscent usu antiquissimi perfectum optativi et praesens saepissime vetantes, saepe optantes et precantes (*di te mactassint malo, Iuppiter ut tu signa certa adclarassis*), aliquotiens adseverantes vel confitentes (*male faxim lubens* et *si te quidquam quod faxis pudet, nihil amas*).

VII B hoc decretum collegii inlustrat sententiam versiculi de quo modo dixi subscripti in I, ut quod ex sacris publicis lustrique Iguvini caerimoniis si non singulorum hominum privatorum at tamen sodalitatis vota operationesque aptas ostendat. similem multae sanctionem ex collegiorum actis latinis novimus, velut collegio funeraticio Lanuvino placuit *quisquis magister suo anno erit ad cenam faciendam et non fecerit, is arcae inferet XXX n.* (Henzen Or. p. 211 n. 6086) et collegio aquae Romano nisi quis magisterio abiturus iuraret se rem eius conlegi bene administrasse neque adversus leges fecisse *in suo magisterio, a. D multa esto* (Bruns font. iuris rom. p. 225[3]). nec frequentius quidquam in hoc litterarum genere ista formula *ita uti supra scriptum est.*

1 *portaia* indidem provenit unde VI B 55 *portatu*, at versu 3 *portust* quasi a *port-* themate. sic latine aries *qui Phrixum et Hellen Colchos portavit* (scholia Germanici p. 79, 18) non portator dicitur sed *portitor Helles* (Columella in poeticis v. 155). nequis crassiore musa exigat verbum, etiam exercitum imperator ex provincia deportat ut domi sistat in triumpho. *sevacne*, *sollemnes* cum alibi hostiis instrumentis precibus sacris statis adtributum sit, hic quandam appellationem sua vi comprehendat, ea nulla posse videtur esse alia quam animalium quibus res divina omnis fit sollemniter. masculinum genus forsitan tauros vel iuvencos primum designarit, sed ut boves masculine etiam tum proferuntur cum segregari a tauris vaccas nolumus, ut in multae dictione a magistratibus oves genere virili appellari necesse fuit ac nisi eo genere dicerentur iustam videri multam negarunt (Gellius XI 1, 4), ita *sevacne* illi mares et feminas simul complectuntur neque hic locus, licet de feminis tantum eligendis agatur, nominis communis ca-

pacitatem respuit. tales igitur hostias magister parare ac deferre debet *desenduf, decem duas*. nam licuisse etiam Latinis sic pronuntiare hos numeros praepostere, maxime quidem coniunctione interposita *decem et duo*, clare adfirmat Priscianus de fig. num. 19 p. 412, 29 K. non tantidem facio quod in libris latinis eo ordine compositos aliquotiens deprehendimus velut in Frontini de aquis commentario I 10 *passuum decem duum milium*, II 64 *quinariarum decem duo milia* — nescio autem quid induxerit Nevium de formis l. lat. II² p. 150 ut alia legi in codice alia a me edita esse opinaretur — enim vero in vetustissimis exemplaribus non vocabula numerorum fuerunt sed notae, non *decem duo* sed *XII*. at etiam ex inscriptione CIL. V 3082 Nevius protulit *decem sexs*.

2 *parsest*. ad litteram convenit *parrebit* quem ad modum olim scriptitatum id verbum esse Festus docet hac glossa *parret quod est in formulis, debuit et producta priore syllaba pronuntiari et non gemino R scribi ut fieret 'paret' quod et invenitur in 'comparet apparet'*. nam *pars-* latine factum est *parr-* sicut *turs- terr-*, ut a cursu curriculum descendit et hirsutus Hirrusque ab hirto. porro quae scriptura non minus probata est antiquis iamque recepta in Bantinam tabulam circa a. u. DCXXX *paret* ad *parret* eam rationem habet quam oscum *teerom* ad latinum *terra*. structuram plane eandem recipiunt *parsest* et *parebit*, etiam hoc congruit quod utrumque proprium est iuris (Petronius *iuris consultus 'paret, non paret' habeto*), significationem tamen latinum verbum per iudiciorum et quaestionum consuetudinem ita immutavit ut ne intra huius quidem fines sermonis statim perspicias quo pacto ad oboedientiam fideique praestationem potuerit idem accommodari. *parsest* indicat pro parte virili quod suscipere et in commune conferre debeant fratres officium. posuissem *oportebit* nisi hoc verbum propter structurae aequalitatem ad *herter* adhibere paulo post placuisset, quamquam natura ac potestate non paulum illa discrepare consentaneum est: *herter* quod scitum est vel placitum ἐπεὶ ἔδοξεν, *parsest* quod oportebit fieri κατὰ τὸν νόμον.

erom ehiato. haec simul cum colis proximis accurate eius qui iam in quaestionem venit actus designant tempus. peractus enim et absolutus hic dicitur quo tempore fugaturus flamen iuvencas est, ante illa quae narrantur A 51. perfecti infinitivo similiter Latini utebantur velut Sallustius Iug. 106 *milites cenatos esse, in castris ignis fieri, dein silentio egredi iubet*, moris erat edicentes legemve sancientes non instantia sed facta ut hoc modo aversarentur *nequis Bacchanal habuisse vellet*. quid igitur accidisse hostiis putabimus ante quam extremo ritu

sacerdos defungeretur? an dis mactatas? at neque *faciom* neque ullum aliud ex tot quae novimus sacrificandi verbis hic apparet. atque omnino huius generis quidquam in hunc locum convenire nego, immo vero quia tenaciter arteque *ehiom* convinctum est cum boum persecutione, hanc ipsam quod praemunivit et antecessit id sic dictum arbitror. exacta autem et exempta vinculis et emissa oportuit quae super forum fugarentur animalia, eaque plura ibi quam tria adfuisse cum *peracrio* genetivus A 51 adfert suspicionem tum luculenter illud *quas tres primum ceperint* confirmat. *ehiatu* fortasse sic est ad *eetu* A 54 ut *fugato* ad *fugito* aut ut ἰέτω ad ἴτω.

4 *motar* pro nominativo plurali habeo: in res singulas tanta multa esto. in XII tabulis scriptum erat *si iniuriam faxit, viginti quinque poenae sunto*, significare id Verrius aliique consentiunt XXV asses, Gellius XX 1, 12 substituit *XXV aeris poenae sunto*. cf. Schoellium de XII p. 142 et 78. ex osca formula *svaepis ionc meddis moltaum herest, ampert minstreis aeteis eituas moltas moltaum licitud* qui transferunt *multae multare liceto*, qua ratione genetivum expediant me fugit, *multas multare* id est inrogare vel dicere si volet magistratus dum minoris partis familiae taxat liceto. an *moltass* quisquam postulabit Bantinum exhibere osci quidem sermonis sed contaminati monumentum? quod satis magna haec multa est, sex autem assibus cara tum erat duobus hominibus quae dabatur cena V B 10, cum haud parvum ita delictum puniri pateat, id vel gravitati religionis vel sumptuosorum pretio *sevacniom* apte refertur.

iam perlustratis litteris gentis quam antiquissimam Italiae Romani existimarunt, tandem redeo ad NIEBVHRIVM cuius honori hanc operam dicavimus et ad saecularia festa quibus academia haec magni civis et doctoris natalem propediem celebrare parata est. ac pietatis nostrae gratique animi interpres in publico conventu erit conlega honestissimus ARNOLDVS SCHAEFER historiae antiquae professor ordinarius. cuius ut audire orationem conventumque frequentia sua ornare velint, ex auctoritate rectoris magnifici illustrisque senatus curatorem universitatis nobilissimum, professores amplissimos, doctores clarissimos, commilitones ornatissimos, magistratus qua regios qua urbicos spectatissimos, denique omnes quicumque Niebuhri nomen memori mente conditum tenent aut nostris favent cupiuntve rebus studiisque litterarum, qua par est observantia rogo invito.